




10. A.

IO. ANTONII VIPERANI
DE SVMMO BONO
LIBRI V.







Neapoli.


Ex officina Horatij Saluiani.

M. D. LXXV.

GASPARI CHIROGAE EPISCOPO CONCHENSI, REGIS PHILIPPI

a consilijs, atq; hæreticæ prauitatis in Hispania Inquisitori maximo

IO. ANTONIVS VIPERANVS.





VÆRENTI mihi patronum Gaſpar Chiroga quē libris de ſummo bono darem Antonius Perenottus S. R. E. Cardinalis Granuellanus, qui nunc pro rege Neapolim gubernat, te vnū proposuit hominem integerrimum, ac ſummæ eruditionis & authoritatis. Et quāuis ipſe de tua virtute & doctrina magnam ante opinionē ex multorum


multorum commendatione cepiſſem, tamen tanti viri, quem ſummopere colo & obſeruo, teſtimonium exiſtimationem auxit. Vnde mox in tuam fidem eos tradere nō dubitaui. In his agitur de fine bonorum: quam rem ad bene ſentiendum & recte viuendum neceſſariā, tum veteris philoſophiæ magiſtri permultis concertationibus exagitarunt, tum diuinorum ſcriptorū interpretes magnis voluminibus explicuerunt. Atq; equidē in dialogo ſcripſi nō ſolum quia veritas in diſputatione melius elicitur, & ſubtilius limatur, verum etiā quia ſermo in certas perſonas diſtributus in locos amœniores opportunius digreditur, & rerum varietate

te

te lectorem vehementius delectat: nec a theologorum sentétia quicquam discessi, & philosophorum opiniones discussi; ita vt quid sequi, quid contra fugere oporteat nobis ad veritaté omnino persuasum sit. Dicendi vero copiam & ornatum quoad potui persequutus sum ea temperatione, quam rerum grauitas postulare à me videbatur. Siquidem ieiunam & inornatá orationem plerique vt iniucundam aspernantur. Sed tamé maximus atque optimus patronus his libris adoptandus fuit, cuius authoritate non solum defenderentur, uerum etiam probarentur. Cardinali auté Granuellano maximam gatiam habeo, quod ad humanitatem tuá

mihi aditum aperuerit, tibi nó mi norem habiturus, si & librorum & authoris tutelam pro tuo ingenio liberaliter acceperis.

IO. ANTONII VIPERANI DE SVMMO BONO LIB. PRIMVS.



Quæ ſit Beatitudo.



ICOLAI Patris noſtri memoriã Petre frater ſumma cum beneuolentia semper tenere debemus, tum quia uitam ab eo, & patrimonium accepimus, tum quia bonis artibus inſtructi, & ad pietatem & religionem Chriſtianam magna cura inſtituti ſumus. qua quidem ille nihil antiquius habuit. Nam orbatus uxore Franciſca Armalea matre noſtra prudentiſſima & caſtiſsima muliere se totum ad diuinarum rerum ſtudium traduxit, & quod uitæ reliquum illi fuit honeſte ac sancte peregit, tanta probitatis

opinione omnium uocibus commendatus, quantam de optimo uiro haberi decuisset. Equidem pietatis amator, religionis cultor, æquitatis obseruãtissimus erat, modestus & frugi, in uotis atq; in templo frequens; nempe qui se Deo caste & pure deuouerat: quodque sibi tempus a cælestium rerum contemplatione & sacrorum librorum lectione superabat, miserorum hominum temporibus transmittebat, ab omni honorum cupiditate alienus, nec rei familiaris plus negotij agens, quam honestæ familiæ ratio postulasset; qui honestatem pecunia potiorem ducebat, existimabatq; uirtutis hæreditate nullam aliam posse liberis meliorem relinqui. Consuetudine uero eorum maxime utebatur, quos secum pietas & sacrarum rerũ scientia coniunxisset. quandoquidẽ ipsum liberales artes omnes, atq; inprimis theologiæ doctrinæ delectabat. Vnde moriens incredibile sui desiderium in omnium animis reliquit, clarum profecto temporibus nostris & illustre integritatis ac ueteris sanctitatis exemplar. Ne uero sermones ij, qui de hominis summo bono inter eum olim & Bartholomeum Merulam ac F. Bernardinum Barbanum habiti sunt doctissimi & eruditissimi, certis monumentis carerent, illos nostris literis commendandos putauimus; utq; parentis nostri memoriam celebraremus, & tibi paternæ probitatis imitatori rem gratam efficeremus. Nam licet tuum munus

ſit de iure consulentibus respondere. quod egregie sane facis. tamen res iſtas lubenter etiam pertractas. Cum enim dies ueniſsent, qui bacchanalium more aguntur, rogauit parens noſter Bartholomæum Merulam presbyterum nobilem & integerrimum, ut F. Bernardinum Barbanum adirent in ueteri illo Capucinorũ Fratrum cœnobio, quod ab urbe mille fere paſſus diſtabat, qui se a laſciua uulgi hilaritate & petulantia segregarent, ac sanctiſſimi & doctiſſimi viri congreſſu tempus salutariter consumerent. Etenim probe noſti quanta parenti noſtro cum Bartholomæo Merula familiaritas & beneuolentiæ coniunctio fuerit ex morũ ſtudiorumq; ſimilitudine. quanquam Nicolaus ingenio erat acriori, & ad excogitandum & intelligendum celeriori: neuter tamen illiteratus, aut bonarum artium rudis. Capucini uero maxima sanctitatis et doctrinæ exiſtimatio erat ob grauiſsimam inſtitutionem uitæ & disciplinam, magnarumq; rerum cognitionem atq; ſciẽtiam; qua pollere cunctis suis in celeberrimis gratiſſimisq; concionibus uidebatur. Is cum uenire ad ſe homines beneuolos & amantes sui uidiſset, illis obuiam paululum proceſſit, atque amiciſſime, ſicut ferebat uſus religioſi uiri, cõſalutauit. Vbi causam aduentus didicit, conſilium laudans in hortum illos induxit. Nam suauiſſimus dies illucebat sereno cœlo, & uim extremæ hyemis temperante solis calore;

ac

nem distinguat, & uarijs doctrinarum institutis & rationibus contentionis asperitatem condiat. Mox etiam Merula, nec est quidem, inquit, quod ipse malim quam Barbanum nostrum de summo bono disputātem audire: neque isthac disputatione iucundiorem & utiliorem ullam esse puto. Itaq; F. Bernardinus Barbanus sic exorsus est.

Christiani studium in comparanda beata uita totum uersari debet, sicut religionis nostræ uolūt instituta, & iubent morum officiorumq; præcepta. Quid tu ais? NIC. Idem aio. BAR. Ac nemo quidem mihi philosophi nomine dignus uidetur, æque ac Christianus; qui ueræ ac diuinæ sapientiæ rationes tenet. An nō idem tibi uidetur? NIC. Videtur. BAR. Quod si ueteres illi doctrinarum magistri magnā ex eo nominis existimationē adepti sunt, quoniam id bonum exquirere cœpissent, quo hominis cogitationes omnes atque conatus referri oporteret, quantanam erit Christiani authoritas, qui solus bonorum summam percipit? NIC. Christiani dignitatem agnosco: uerum illud ualde miror. BAR. Quam rem? NIC. Quod in constituendo fine bonorum tam multis uarijsq; sentētijs inter se philosophi discrepauerint. Nam Varro, ni fallor, refert octoginta de felicitate hominis secum dissentientes illorum opiniones extitisse. Amabo unde opinionum tanta uarietas? BAR. Ex appetitionum uarietate. Nam ut gusta-

tus non est omnium similis. nam sapore alius aliã voluptatem capit: sic pro sua quisque libidine de felicitate alius aliud sentit; ac beatam vitam ea re contineri existimat, quam ipse legit. Ac uelut ij, qui uel morbo aliquo affecti sunt, uel stupore sensus correpti, suauitatem cibi non sentiunt, sic qui turbidis animorum concitationibus perturbantur, neq; ueri neq; falsi, neq; boni neq; mali rectum syncerumq; iudicium ullum habent. Qui uero ratione reguntur, ij uitam ex virtute fingunt. quanquam bonum ipsum, ex quo uere beata uita hominis efficitur, mortaliũ nemo acie mẽtis suæ potest plane uidere, si non diuini atq; æterni solis lumine Iesu Christi merito illustretur. NIC. *De bonorum & malorum finibus non dubito eos philosophos rectius dijudicasse, in quibus appetitionum & sententiarum quasi tempestates quasdam uirtus sedauerat: uerum.* BAR. *Quid hoc est?* NIC. *Hominem, qui sagax & prouidum animal est, finem suum ex se non præcipere, cum unaquæq; res naturæ instinctu finem suum & generis perfectionem asciscat: nullus autem insitus a natura conatus uanus & inanis existit. dico uanũ, cuius neque modus, neque finis ullus inuenitur. grauis profecto mihi, & obscura multis oratio est.* BAR. *Sed obscuris rebus adhibendæ sunt explanationes, ut apertæ fiant.* MĒR. *Scitus es Barbane. Ego tamẽ abs te prius audire velim, quæ fuerint de summo*

mo bono sententiæ philosophorum, dum id commode fieri posse censeas. BAR. *Morem gerã, ubi notionem summi boni explicuero. sic enim melius, opinor, procedet oratio.* MER. *Age ut lubet.* BAR. *Vultis ne uero disputationem ipsam inter nos interrogando, ac respondendo agitemus? an perpetuam & contextam orationem amatis?* NIC. *Ego, vt pro meo Merula etiam respondeam, malo distinctum percontationibus sermonem, quã perpetuam & continentem orationem. Nã audiendo & dicendo quid uerum falsumue sit melius elicitur, multa quoq; inter colloquendum sæpe intercidunt, quæ mirabili uarietate disputationẽ exornant; alioquin eodem tractu fluentem orationem effugerent.* BAR. *Te igitur primum interrogo an bonum ab expetendo seiungas.* NIC. *Verbo quidem secernerem, sed re & cogitatione non separarẽ.* BAR. *Prudenter, quia quodq; expetitur quatenus bonum est, hoc est, aptum conueniensq; naturæ. nonne hoc dicis?* NIC. *Hoc ipsum omnino. Siquidem quæ aspernamur, ut mala reijcimus; quæ uero quærimus, ut bona expetimus.* BAR. *Dicis igitur appetitum non cieri nisi ab obiecti specie boni.* NIC. *Hoc equidem ipsum.* BAR. *Ergo, si bonum id est, quod expetendum, summum borũ id etiam erit, quod maxime optabile & expetendũ. neque enim foret summũ, nisi omnibus bonis præstaret.* NIC. *Ita prorsus.* BAR. *Hoc si das mihi,*

dabis idem quoque perfectum & absolutum esse. NIC. *Qui istud?* BAR. *Quoniam si quid illi addideris, summum non erit, sed inferius eo, cuius accessione perficitur. H c autẽ est perfecti conditio, nihil ut ei desit, nihil adiungi queat; sed habeat (ut Stoici loquuntur) omnes numeros; omnibus inquam suis partibus aptum & absolutum sit.* NIC. *Quid ad hoc?* BAR. *Ex hoc consequens est solum summum bonum, quia perfectum est, explere appetitum posse; atque ob id maxime expetendum esse, quia omnia, quæ natura postulat, complectitur. quandoquidem si ad expletionem naturæ satis non esset, perfectũ nõ foret, in quo aliquid præterea desideraretur. Quamobrem summũ bonum adhuc necessario concedes, quia perfectũ est, optimum in bonis esse. Hinc ueteres græci, quod nos summum bonum appellamus, illi* ἄριστον ἀγαθὸν *dixerunt, hoc est optimum bonũ, scilicet quod in bonis præstantissimum est.* NIC. *Concedo quidem summum bonum optimum esse. quid vero tum?* BAR. *Audies. Si summum bonum inter nos conuenit id genere esse, quod maxime expetendum & optimum, assentieris quoq; extremum esse bonorum. nempe quo cetera referantur: ipsum uero nullam ad aliam rem conferatur.* NIC. *Finem uis opinor dicere.* BAR. *Etiam. nam quẽ græci* τέλος *uocant, tu siue finem nomines, siue vltimum, siue extremum, siue id, quo omnia re-*

feruntur

feruntur, siue cuius gratia reliqua sunt, semper idem dixeris, ac summum bonum. NIC. *Quonā modo?* BAR. *Quia huic uerbo finis subiecta est notio perfectionis; ac quæq; res finem suum assequitur, cum omni ex parte in suo genere perficitur; hoc est, ad absolutam naturæ suæ formam speciēq; reducitur. Ex quo animaduertis cum summum bonum dico, finem etiam me dicere. Sed hanc ipsam orationem planius dilatabo.* MER. *Porro ut volumus.* BAR. *Appetitionis motum gignit obiectum bonum: quod nimirum propriam speciem habet, cur appetendum sit. Quare bonum & finis uim habent eandem, quatenus ab utroq; est expletio perfectioque naturæ. Nam ut in bono, sic etiam in proposito fine appetitus omnis conquiescit, atque omnes motus suos conatusque deponit. Quid enim amplius appetat, si expletus est? aut cur longius progrediatur, si ad metam peruenit? quod accidit, cum omnia, quæ natura postulat, cōsecutus est. Atque hoc est perfectum & absolutum esse. Quoniam uero unaquæq; res gestit finem suum contingere, atque in optimo naturæ suæ statu esse, merito ueteres bonum (ut Aristoteles tradit) id esse dixerunt, quod omnia appetunt. Quod quidem in eo ponitur, quod naturæ accommodatum est. Hinc quæ inter bona, eadē inter fines est differentia. Etenim finium quidam ad alium finē spectant, quidam extremi sunt, ad quos alij reuocantur;*

cantur; sicut bonorum quædam alterius gratia, quædam propter se expetuntur. Quanquam Stoici nolunt quicquã appellari bonum, quod non sui gratia quæritur; quæ vero non sui, sed alterius causa petuntur, ea uolunt commoda uel utilitates nuncupari; ita ut quod bonum sit, idem sit per se expetendum. NIC. *Hac eadem ratione arbitror, qui alio pertinent, proprie fines non dici, sed unas ducentes ad finem.* BAR. *Attamen usu uenit, ut quod huic bonum est, alteri utile sit, atque unius artis finis alterius officio deseruiat. sicuti pharmacopolæ vnguẽta & pocula medicus ad curandã ualetudinem usurpat. Ita rem eandem diuersæ rationes uarie afficiunt. Verum de uerbis contentio fugienda est, dum res intelligitur. Intelligere autẽ iam uos opinor ex his, quæ dicta sunt, quod in bonis extremum est, id summum bonum esse.* NIC. *Tu hoc uno summi boni uocabulo optimi, ac maxime expetendi boni, extremi, atque perfecti intelligentias simul inuoluisti, eandemq; rem pluribus uerborum notis signasti.* BAR. *Nunc beatitudinis significatio enucleabitur; quæ est summi boni adeptio. Etenim beatus omnibus numeris & partibus in suo genere expletus & cumulatus est; ita ut ei nihil desit. Atqui perfectionem expletionemq; naturæ inter nos conuenit summũ bonũ esse: Id enim est in omni re optimum. Quã igitur beatitudo uim habeat ex sũmi boni ratiõe et natura cognoscitis.*

NIC.

NIC. *Etiã.* BAR. *Hæc tanquã fundamenta totius disputationis ieci. quæ si a uobis probe tenentur, ad cognoscendas philosophorum de summo bono sententias ingrediar.* NIC. *Nos equidem huc usq; a te breuiter circumscriptum ac notatum habemus, quid summum bonum sit, quid etiam beatitudo. quæ mihi non tam re, quam uocibus differre uidentur. Cetera tuo arbitratu.* BAR. *Porro cum de summo bono simpliciter & absolute sine ulla adiunctione quęritur, de nullius certæ rei, sed de uniuersitatis causa, & principio quæri uidetur, nimirum quæ uis in rerum uniuersi natura quammaxime excellat: sin uero rem aliquam adiunxeris, ut angeli, uel hominis, uel bruti animantis, tunc singularem quæstionem fieri, spetiatimq; de huius uel illius rei perfectione & absolutione rogari. Nobis etsi propositum est eius boni sedem inquirere, in qua hominis beatitudo ponatur; tamen, quia docent differendi ac dicendi magistri rem ad genus, & ad uniuersam naturam referri semper oportere, non dissentaneum fore existimo uniuersitatis summũ bonũ prius inuestigare. Sed attingã id breuiter, & quasi per transennam præteriens strictim indicabo. quoniam eius explicandi locus alius opportunior nobis reseruatur.* NIC. *Et per transennam istuc uidere nos iuuabit.* BAR. *Nec difficilis sane quęstio est. Nam quicunq; de uniuersitatis summo bono interrogetur quod sit, dum*

cælum suspiciat, ac totius mundi fabricationem, & pulchritudinem intueatur, respondere non hæsitauerit Deum in uniuersi natura perfectissimum, & præstantissimum esse, rerum omnium procreatorem, atq; rectorem. Cuius quippe anticipationem, seu prænotionem, græci πρόληψιν, Cicero antecepta animo informationē uocauit, nemo usquā est hominum tam rudis & ferus, qui sine ulla doctrina insitam a natura non habeat. Consensus autem naturæ ad faciendam fidem magnam uim habet. Nihilominus quia argumentorum momenta ab ingeniosis uiris etiam petuntur, afferam rationes, quibus id probetur. NIC. Næ tu prudenter cogitas. BAR. Omnium rerum, quæ uel sensum mouent, uel ratione & intelligentia comprehenduntur, aliquod principium esse necesse est: quod ipsum e nulla re alia natū sit. neq; enim principium foret, si aliunde oriretur. Hoc autem principium, ex quo orta sunt omnia, tam humanarum quam diuinarum rerum periti Deum esse confirmant. Quem magus ille Zoroaster πατρικὴν ἀρχὴν, & ab insigni ui ignem uocauit, ex quo uno res omnes genita sunt,

εἰσὶν πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐγγεγαῶτα:

ac per quem diuinus Ioannes omnia facta eße dixit, & sine ipso factum esse nihil. Quinetiam a Christo Iesu diuinæ sapientiæ magistro prohibemur patrem alium uocare, quam eum, qui in cælis

lis est. Et Boëtius non spernendus author inter latinos,

Vnus enim rerum pater est, *inquit,*
Vnus cuncta ministrat.

Iam Principij uis infinita & immutabilis est, quia simplex & æterna. Nullius enim generis circumscriptione concluditur, cuius nulla origo est: ac quia ex se subsistit, semper eadem est. nihil enim se ipsum unquam deserit. Quare numen diuinum Orpheus existendi necessitatem nuncupauit, qua cuncta reguntur,

δεινὴ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατύνει.

Itaque Deus, cum solus in se sui, & aliorum extra se origo sit, purus simplex & ab omni concretione separatus, solus utiq; a se bonus semper est, non (ut doctissimus Augustinus loquitur) alio bono bonus, sed omnis boni bonum; & (quemadmodũ ait inter græcos non minimus theologiæ doctor Damascenus) superbonus. Quod si causa præstantior est a se rebus effectis, & eorum, quæ effecta sunt, uirtutes in eo, a quo fiunt, maiores cernuntur, certe nihil erit in procreatis rebus bonitatis, quod in procreatore amplius non insit. Nec secus ad creatoris numen creatarum rerum uis & natura reducitur, ac numerus & multitudo ad unum caput reuocatur, a quo fluit. Quocirca solus Deus summe bonus & perfectus

existit, quia omnium rerum præstantia a se solus excellit. Siquidem (ut uult Aristoteles intelligens & acutus philosophus) omnino perfectum id est, quod omnes uirtutes, quæ in singulis rerum generibus sunt, amplectitur. Et Deum hunc esse grauis Aristotelis interpres Auerroes sentit. Verum dissimilium rerum diuersis generibus differentes uirtutes cum sint, tamen in Deo non re, sed tantum ratione & intelligentia distinguuntur. Quoniã quicquid in Deo est, id eius est simplex æternaq; natura. Ceterum si in Deo est omnium rerum causa, in eodem quoq; erit finis. Eiusdem quippe rei idem est finis atq; principium: & ex quo fonte uniuersi bonitas emanat, in eundem reducitur. Quæso non indignũ Deo esse duceres, si frustra ac sine causa alquid faceret? NIC. Quinimmo istud ab hominis constantia abhorret. BAR. Quã igitur ob causam mundum fabricauit? sui ne gratia, an alterius? NIC. Non dicam alterius. BAR. Scite: ne aliud a Deo principium ponere uidearis, e quo potestas numinis diuini pendeat: aut aliquo bono Deum carere fatearis, eo nimirum, quod extra ipsum esset, si allus ab eo finis existeret. Dices igitur sui gratia mundum fuisse molitum. NIC. Dicã sane. BAR. Ergo si Deus est uniuersi finis, etiam est summum uniuersitatis bonum. nam eadem est finis bonique sententia. Qui uero nullum finem in uniuersi natura poni uolunt, ij boni rationem omnem

finem & naturam euertant: Sublato enim fine tollitur etiam bonum: quoniam est, quod sæpe dixi, eadem notio utriusq;. Plures autem fines uniuersitatis esse nequeunt: alioquin a se ipso uniuersum dißentiret; quia nullum rerum ordinem seruaret. Nam quæ certa partium distributione inter se collocata sunt, spectant ad unum finẽ omnia. Hic autem finis est Deus, ad quem uniuersa pertinent: quæ mirabili prudentia inter se tanquam Homeri aurea cathena connexa & apta uidemus. Quo argumento Aristoteles in metaphysicis Deum unum esse, eundemque perfectissimum præstantissimumq; confirmat. Itaq; Deum summum bonum esse pluribus forte, quam institueram, demonstratum est. NIC. Id a te quidem apte & plane effectum est: Sed tamen percunctor, cum dicis Deum summum bonum esse, comparate ne tu id dicis? quasi in uniuerso rerum genere supremum quid sit? uelut homo cęterorum animantium præstantissimus est? BAR. Haudquaquam. Nam in nullum genus rerum redigitur, quod immense fertur supra omnia. Et quis est tam insipiens, qui id, quod extremum non habet, cum eo, quod extremum habet, componat? Atqui Dei uis immensa & infinita, reliquarum uero rerum a Deo constituta potestas est. Itaq; nulla res quantumlibet excellens & præstans sit, cum cœlesti numine comparari potest. Sed Deum summum bonum simpliciter dico, quod non

solum longo interuallo ceteris præstet, sed quod omnium uirtutes capiat. Ad authoris tamen sui respectum inter se reliquæ res conferuntur, ut præstent eæ, quæ diuinæ bonitatis capaciores sunt, magisq; optimi naturam imitantur. NIC. *Intelligenter quod quærebam explicasti. Deinceps de hominis summo bono disserendum tibi est.* BAR. *Rite mones. Sed de uniuersi fine licet quæri uideatur, cum de summo bono simpliciter & absolute quæritur, tamen usus loquendi philosophorum obtinuit, ut cum de summo bono disputare se dicunt, de hominis felicitate eos disserere intelligamus. Quam rem infinitis prope disputationibus & concertationum plenis exagitarunt. Verum ut ipsi recte hominis finem statuamus, meminisse uos oportet ea, quæ de summi boni natura & beatitudinis uniuerse ante dicta sunt. Tenes ne memoria beatitudinem esse summi boni adeptionem?* NIC. *Teneo.* BAR. *Summum uero bonum optimũ & perfectißimum eße, maximeque expetendum, quod per se unum ad expletionem naturæ sufficiat?* NIC. *Etiam.* BAR. *Cum uero summum bonum generaliter nullo alio adiecto casu dicitur, Deum intelligi summum uniuersitatis authorem?* NIC. *Scilicet.* BAR. *Et cuiusq; rei summum bonum in suo esse genere cuiusque perfectionem?* NIC. *Hoc etiam.* BAR. *Ergo si beatitudinẽ hominis quærimus, eius in suo genere absolutionem inspiciamus oportet.*

NIC

NIC. *Maxime.* BAR. *Fiet autem opinor id apte, si eius naturam perscrutemur.* NIC. *Probe.* BAR. *Primum hominis natura ex duabus dissimilibus inter se partibus conflatur, animo inquam & corpore, ille ratione præditus, hoc quinq; sensibus ad percipiendas res præsentes instructum est. At mens sensu longe præstantior. Est autem inter sensum & mentem ea distinctio, quæ inter caducũ & æternum. Nam corpus ex terra, aqua, aëre, igni concretum dissoluitur interitque, nõ aliter ac res eæ, quæ ex his principiis natæ & fictae sunt: animus uero a Deo ingeneratus, nec quidquam habens admixti atque corporei, semper uiget & uiuit immortalis. Quare Chaldęorum sapientissimi hominem uarium & quasi multiforme animal uocauerunt, inter superos & mortales intermedium, utriusq; naturae cœlestis terrestrisq; participem. Ceterũ animi, quæ uetus est primum Pithagorae, deinde Platonis, tũ ab alijs quoq; philosophis recepta diuisio, partes sunt duæ; quarum alteram faciũt rationis participem, alteram expertem, quam græci ὁρμὴν uocant, M. Cicero appetitum: qui licet ex se rationis expers sit, tamen rationis imperium sentit. Sed & diuinarum rerum præceptores superiorem illam animi partem spiritum, inferiorem uero quandoq; sensum, quãdoq; carnem appellauerunt. in quibus perpetuum bellum est; nec pax ulla unquam homini ab his gignitur, ni caro spiri-*

tui prorsus obtemperare didicerit. Iam corporis proprium & peculiare bonũ mihi uidetur eße ualetudo, quæ totam illius seruat integritatem. Quæ quidem per se ipsa non satis est hominem beatum efficere; cum e duabus hominis partibus tantummodo unam, eamq; attingat, quæ naturæ conditione ignobilior est. At appetitus sanitas eius est recta & constans affectio; quæ eadem est uirtus dicta moralis, quoniam actione perficitur. Modus enim, quo appetitus menti obtemperans redditur, non est mathematicorum rationibus similis, quibus; statim atq; demonstrata sunt, aßensionẽ pręstamus, sed usu & exercitatione consistit. Quam animæ perfectionem actione constantem (siquidem felicitas & perfectio rem eandem significant) felicitatem philoso phi nominarunt actiuam, uel (si uerbum latinum refugis, & mauis grçcum) πρακτικὴν: Verum mens, cui uelut reginæ paret tota hominis natura, humanarum & diuinarum rerum cognitione ac contemplatione expolitur. Quam felicitatem iidem philosophi nuncuparunt inspectiuã, uel (si uerbo grȩco gaudes) θεωρικὴν. NIC. At quędã modo mihi occurrunt animũ nescio in quas dubitationes impellentia: ea, ni orationis tuae cursum impediã, pronuntiabo. Nolo enim (ut aiunt) in salebra hęrere. BAR. Recte facis. nã ignoratis primis eorum quae cõsequũtur, sciẽtia nulla haberi potest. eloquere. NIC. Ate primũ sciscitor cur rectã animi affe-

ctionẽ felicitatis nomine signasti, & priuasti eadem apllatione corporis ualetudinẽ; cũ utriusq; & animi & corporis integritas secundũ hominis naturam sit? BAR. *Quia corporis bona sũt homini cũ brutis animantibus communia: bruta uero animantia, quoniam ratione & intelligentia carent, nullam capiunt beatitudinem. Itaq; beatitudinis uim omnem ignorarunt, qui summum bonum in corporis uoluptate statuerunt, non sane multum a belluis differentes. Ad hoc in potiori parte rem optimam locauimus: hominis uero regnum tenet intelligentia, qua diuini numinis principem naturã imitamur.* NIC. *Non repugnans in hanc ego sententiam uenio. Sed illud etiam scisCitor.* BAR. *Quamnam rem?* NIC. *Fecisti duplicem felicitatem, actiuam & inspectiuam.* BAR. *Feci. quid tum?* NIC. *Quid? si finis & felicitas in rem unã eandemq; redigũtur, duos fines homini propositos esse fatebimur. uerum unius rerum generis unus mihi finis esse uidetur.* BAR. *Non iniuria hæsitas. Nam qui plura extrema dederit, illa uel disiuncta esse concesserit, uel inter se cohęrentia non negarit. Primum si dixerit, diuersa genera effecerit; quandoquidem unius rei una est forma, unus modus & terminus: alterum si asseruerit, confiteri cogetur unum ultimũ existere, ad quod reliqua referantur. Cum igitur hominis unum sit genus, unam quoq; dicemus eius esse formam, u-*

unum finem atq; felicitatem. Sed quoniam humanæ naturæ conditio simplex non est, non etiam perfectionis eius ratio simplex erit. Erit autem ille felicitatis perfectus status, qui omnium partium absolutione perficitur. Quamobrem felicitatis actiuæ inspectiuæq; diuisio nō ex rei natura, sed ex animæ partibus facta est: ipsa uero naturæ humanæ absolutio utriusq; rationem complectitur. Quin eandem fere dubitationem nobis afferrēt, quæ euangelista Matthæus de proposita hominibus a Christo beatitudine tradit. NIC. Eam dic sodes. BAR. Scis quidē Sanctis (quos uocem sanctos intelligis, ne vos inquam Christi cultores a Deo duplici testamento adoptatos) cæli hæreditatem sponderi. At cum una beatitudo sit, tamen a Matthæo multiplicem describi diceres. Refert enim quod Christus pauperibus spiritu, & tuendæ ueritatis causa incommoda tolerantibus regnum cælorum, mitibus possessionē terræ, lugentibus solatia, esurientibus & sitientibus iustitiā saturitatē, misericordibus misericordiam, mundis corde diuini numinis præsentiam, pacificis filiorum Dei nominationem, ab impijs sui nomine iniuriam patientibus mercedem amplissimam pollicetur. Numquid igitur ob ista plures hominis beatitudines esse putabimus? aut humanæ felicitatis formas rationesq; diuersas? minime quidem. Sed quoniam mortalis homo nequit beatitudinis illius naturam uno mentis intuitu cer-

prehendere, diuersis ea bonis pro uaria merito-rum ratione notata est: quae omnia in unum felici-tatis complexum ueniunt. Atq; hęc quidem est de hominis felicitate uera sentẽtia, quę asserit bea-tam & æternã uitam ex sempiternae lucis aspectu fieri fulgẽtis ex ore sanctae atq; indiuiduae trinita-tis, a Deo & homine Christo Iesu enunciatã, nobis-que diuinitus persuasa. Sed prius discutiendae sunt philosophorum opiniones, quam nostra fides con-firmanda, sicut initio disputationis constituimus.

MER. *Video pedetentim eo deueniße orationem, quo intendebam. Agedum incœptum persequere.*

BAR. *Tres philosophorum opiniones de hominis summo bono primarias extitisse inspicio: quorum alij beatam uitam e corporeis uoluptatibus exta-re, alij recta animi affectione & uirtute contineri, tertij rerum inquisitione, & scientia effici uolue-runt. Nam eos sciens omitto, qui uel in diuitijs, quarum infinita cupiditas; uel in nobilitate, cuius inanis est aura; uel in dignitate, quam solicitudo se-quitur; uel in potentia, quam metus comitatur, uel in gloria, cui nihil solidi subest, uel in hominum sermone & prędicatione, quae uana & mẽdax est, collocarunt: quia nec proprium hominis, nec con-stans bonum ullum & ui sua expetendum uide-runt. siquidem isthęc bona uel in opinione uulgi, quod nec consilio nec ratione regitur; uel (si fas nobis eam nominare) in fortunae temeritate sita*

sunt;

sunt; quam cęcam & insanam eße, saxoq; uolubili instare fabularum artifices cõfinxerunt. Qui uero ad uoluptatem omnia retulerunt (quod nomen etsi tam ad animi, quam ad corporis delectationes trahitur, tamen iucundus sensuum motus, & quia nemo usquam est, qui illum non sentiat, & quia pręsens ubique semper est, proprium effecit) partem aliquam hominis attigerunt. quamquã eum de suo dignitatis gradu deiicere se non animaduerterunt; quem pecudi parem redderent, cuiq; nullam uim mentis rationisq; tribuerent. At qui hominis dignitatem cognouerunt & honestatem, beatæ uitæ summam in uirtute posuerunt: quæ turbatos animi motus refrenat, & affectiones moderatur, & rectã uiuendi rationem tradit, & officia cuiusq; pręscribit; quibus hominum societas, & uitæ communitas sancte iusteq; seruatur. Sed qui rerum cognitionem felicitatis effectricem esse affirmarunt, sicut poëta ille,

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

ij mentis & intelligẽtiæ opus inspexerunt occultas a natura & reconditas res semper inuestigãtis. ex qua inuestigatione mirum quãmagnum fructum & delectationẽ animus percipiat. Harum opinionum prima Epicureorum est uoluptates corporis sectantium; quorum est porcorum similis grex: altera Stoicorum felicitatem ex perturbationum sedatione

Ratione fieri credentium: tertia Peripateticorum & Platonicorum precipue uidetur. quorum illi magis in rerum naturalium inquisitione, isti magis in rerum diuinarum contemplatione uersati sunt. Prima illa uitæ forma ratiõi aduersatur, nihil a brutorum animantium cultu abhorrens, non hominũ cultui tribuenda; in quibus animus & ortu & ui corpore nobilior est: altera uirtutis actuosa est, hominis propria, quatenus sensu ac mente simul ad agendum mouetur, operam suam huic tertiæ præbens, quæ diuinorum spirituum pacatæ & tranquillæ uitæ quamsimilima est. Quippe mens, quæ animi pars est in homine suprema & (ut ita dicam) oculus, ueritatis lucem bene intueri nequit, nisi ratio motus animi turbidos concitatosq; sedauerit. Atq; ut homo uoluptati regendum se tradens ad belluinos mores se abijcit, sic ad ueri cognitionẽ attollens in diuinam & cœlestem naturam conuertitur. Itaq; de hominis felicitate quam optime pro hominis ingenio sensisse eos iudico, qui sapientiã, hoc est humanarum diuinarumque rerum scientiã homini satis ad beate uiuendum eße dixerunt. quãquam ij ne absolutam quidem rationem felicitatis perceperunt: sed nec percipere unquam per se ipsi ualuissent; quod diuina luce priuati eßent, quam attulit Iesus Christus demissus e cœlo ad depellendas ignorantiæ tenebras humano generi primi parentis scelere offusas. Atq; hoc est illud, ni fallor,

de quo

de quo me rogabatis: uidelicet, cur philosophorum nemo ueram hominis felicitatem cognouerit. NIC. Ita sane: & cupimus hoc a te nobis explicari. BAR. Puto autem posse hoc pacto rite id demonstrari, si prius ostendero in huius uitæ usura nullam posse ueram & diuturnam felicitatem sentiri. Id quod in promptu ita est, ut res longa disputatione non egeat. Etenim si aut corporis bonum ullum absit, aut etiam fortunæ (cuius commoda ipsimet Peripatetici ad explendam beatam uitam necessaria ducunt) aut si totius animi tranquillitas non adsit, aut eius discendi cupiditas omnium rerum, quas nosse desiderat, cognitione satiata non fuerit, haud dubium est, quin uita omnino beata non sit; quandoquidem felicitas perfectum bonum est, cui nihil addi potest: aut si quid ex ea demi potest, uera felicitas non est; quae stabile & perpetuum bonum est. Huius profecto modi beatus inuentus est, nec inuenietur usquam nemo, dum in hoc fragili & obscuro animæ ergastulo uixerit: qui omnia, quæ ad perficiendam uitam beatam requiruntur, adeptus sit, utaturque ijs absq; ullius boni uel temeritate fortunæ, uel hominum maleuolentia, uel propriæ conditionis uitio amittendi metu. Et, ut uno uerbo rem concludam, cuius animus ita quietus & tranquillus est, nihil ut uelit, nihil optet, nihil concupiscat, qui omnibus lætitijs cumulatum se atque expletum sentiat? immo quotusquisq; est, qui uitae

suae

suae conditionem dolenter non deploret & conquератur? ut iure poëta ille miretur,

Qui fit Mœcenas, ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu sors obiecerit, illa
Contentus uiuat: laudet diuersa sequẽtes?

Cum igitur sub hoc orbe lunari in hac infimæ mundi sede, in qua nihil est nisi mortale & caducum, nulla beatitudo haberi possit; expetat autem homo naturaliter naturae suae expletionẽ atq; beatitudinem; & naturae instinctus omnium philosophorum sententia nullus uanus & inanis existat; certe alio loco atque alijs sedibus nostra nobis quęrenda felicitas est, non in poëtarum campis elysiis, sed in cœlorum splendidissimis ædibus: ubi Deus optimus uniuersorum parens & dominus (sicut propheta loquitur) in bonis omne desiderium explet. Hanc nostram immortalem felicitatem ne suspicari quidem unquam ullus mortalium ex se potuit. Deus, qui naturam humanam aßumpsit miseratus humani generis errores, ipse nobis demonstrauit. NIC. *At cur homo plenus rationis atq; cõsilij diuinae suae mentis studio immortalem suam felicitatem assequi non ualet?* BAR. *Mane. Hoc ipsum equidem molior enodare.* NIC. *Maneo.* BAR. *Modi, quibus Deum cognoscimus, tres traduntur Rationis, Fidei, Visionis. Primus initur ex notatione rerum uniuersi: quarum animaduer-*

sione

sione in opificis agnitionem moderatorisq; deduci mur. Sic numen diuinum, quod sensum oculorum effugit, apostolus Paulus ab homine, quem ob communicationem omnium naturarum, quæ in uniuerso sunt, mundi creaturam uocat, per ea, quæ facta sunt, intellectum fuisse testatur. Quem modum animus noster in hac uita proprium & peculiarem habet. Sed eo solum intelligit Deum opificem eße & rectorem uniuersi: non autem cælestem ipsius eximiamque naturam potest comprehendere; quoniam a nulla re procreata exprimitur. Verum illam (ut prophetas sileam, quorum ore Deum loquutum fuiße scimus) Iesus Christus, qui in sinu patris est, atq; omnem domini sensum nouit, ipse nouissimis temporibus factus homo nobis notam effecit. Quis enim mortalium a se unquam in animũ induxisset unam eandẽq; naturam diuinam omnis compositionis expertem in tribus personis patris & filij & spiritus sancti inesse? ac dei patris filium ad liberandum genus humanum e diaboli potestate, in quã Adæ primi parentis culpa deuenerat, e cælo in terras descendiße? aut quis unquam cogitasset hominis finẽ in cælis constitutũ esse? & præstari quicquam a nobis cũ Deo posse, quo diuinæ beatitudinis hereditate digni haberemur? Iesus Christus Dei & hominis filius aperte cuncta nos docuit. Quod apud Ioannem Euangelistam ipsemet ait. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui noluerit,

filius

filius reuelare. Horum persuasio fides dicitur, nempe qualitas quædam instar lucis animæ diuinitus infusa, qua mens supra rationem ad uidendum Deum afficitur. At uero ubi nos Deus in regnum suum traduxerit, tunc illum (ut apostolus loquitur) facie ad faciem uidebimus. Qui aspectus Dei eius perfecta cognitio est. Ac quoniam tanta beatitudo nec sensibus percipi potest, quorũ præstantissimi sunt uisus & auditus, nec ratione, merito Isaias inquit, Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Quamobrem ad cognoscendam & consequendam cælestem beatitudinem non humana, sed diuina opus est facultate. NIC. *Hæc præclare a te dicta sunt: sed tamẽ uidẽtur o Barbane præter alios poëtae, quorum e doctis antiquissimum genus apud ueteres extitit, beatitudinẽ isthanc hominis si nõ cognouisse, at quodammodo suspicatos fuisse.* BAR. *Quonam modo?* NIC. *Quia iustos, & fortes homines commenti sunt e terra in cælum transferri, atque una cum dijs ambrosia & nectare ali, hoc est, immortales & beatos fieri, diuinarumq; rerum contemplatione in omne tempus frui.*

Hac arte (*inquit ille*) Pollux, hac uagus Hercules
Innixus arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens

Purpureo bibit ore nectar.

Et locorum fortunatorum descriptio, quæ bonos & pios uiros manent post mortem, mihi quædam est beatorum status adumbratio.

Largior hic campos æther, & lumine uestit
Purpureo: solemque suum, sua sidera norunt.

BAR. *Finxerunt quidem illi, nec male, constitutas esse pijs uiris post mortem in cœlo sedes, quod animos hominum immortales esse opinarentur, ac factorum suorum pręmium aut pœnam a dijs mundi rectoribus relaturos. insunt enim in animis nostris uestigia ueritatis, quæ, ni falsis opinionibus & uitijs obruantur, minimum errare nos patiuntur. sed quod diuinæ naturæ (ut Petrus apostolorum princeps ait) consortes efficiamur, atq; in summi Dei habitũ & formã commutemur, ut non solũ filij Dei propter diuinæ imaginis signatã in nobis similitudinem, sed etiam dij nominemur propter cœlestis gloriae communicationem, quis aut philosophorum, aut poëtarum non dicam intelligentia, sed suspitione ulla unquã assequutus est? NIC. Iam sane quæ dicis intelligo. BAR. Non igitur se christianus efferat, aut insolenter glorietur, quod hominis summum bonum præceteris philosophis unde sit uideat, sed oẽm ueritatis cognitionẽ Deo acceptã referat, a quo in lucem e tenebris euocatus est. Quinimmo a Deo nobis timẽdũ ualde*

est, ne oblatum diuinum munus pro nihilo ducentes cœlestem lucem nostris uitijs & sceleribus restinguamus. Nec certe parum illi philosophi commendandi sunt, qui prae se ferentes lumen rationis ad eam felicitatē mentis oculos adiecerunt, quae homini maxime conueniret, quęque humana opera & studio posset acquiri. In quibus ingenio & doctrina Plato plurimum excellit. Habetis quae philosophorum laudanda, & quae sit de summo bono tenenda sententia. MER. *Habemus, sed significatam potius, quam enodatam; ut nolim susceptam de hominis felicitate disputationem a te explicatam putes.* BAR. *Ah, minime equidem. Sed libuit inprimis philosophorum celebriores sententias proponere: post singulas ad ueræ & perfectae beatitudinis rationem perpendemus; atq; interrogando inter nos & respondendo rem omnem planam & euidentem efficiemus.* MER. *Probo.* BAR. *Non autem superuacaneum fore arbitror quid beatitudo sit rursum dicere, ac deinde quae ad eius rationem uniuerse requirantur exponere.* MER. *Age sis.* BAR. *Beatitudo a nobis summi boni adeptio, a Boëtio finitur status omnium bonorum congregatione perfectus. Nec sane huic uerbo, cum beatum dicimus, ulla alia notio subiecta est (quemadmodum refert Cicero) nisi segretis omnibus malis cumulata bonorum complexio. Ete-*

 nim

nim à beata uita neceße est absit non modo malum; nam si quod malum insit totam felicitatem corrumpit; sed etiam metus mali. quanquam metus ipse in malis censetur. Quis enim potest eße beatus in malorum timore? Siquidem qui existimat se miserum esse posse, certe hoc ipso miser est. Segretis autem malis extet cumulus bonorum oportet; qui desiderium cuiusque rei plene expleat: alioquin beatus non dicitur, qui non habet quae uelit. Hinc beatitudinem in sacris uoluminibus pacis uocabulo designatam legimus, qua non modo appetitus cum ratione concordia, sed totius etiam animi tranquillitas significatur. Quapropter apostolus Paulus beatitudinis authorem Deum pacis appellat: quam bis, ad quos scribit, semper exoptat. MER. Et quidem illis rem exoptat, qua nihil melius, aut optabilius est. BAR. Ad hoc uero per se iucunda & suauis est beatitudo; quoniam summi boni adeptionem fructus gaudiumq; consequitur. Ideoq; grçci, quem nos beatum, ipsi a gaudendo μακάριον uocant; quod cum delectatione ac iucunditate copulata felicitas sit. Nec Epicurus omnino absurde, quoniam qui felix est, iucunde ac suauiter uiuit, ad uoluptatem, quam uti summum bonum, aut summi boni sociam natura semper ascisсit, omnia reuocasset, si non corporis, sed animi delectationem persequutus fuisset. Haec enim

enim uera, constans, & laudabilis; illa & nocens, & turpis, & rationis inimica est. Quae sit igitur beatitudinis uis & natura perspicitis. MER. *Maxime.* BAR. *Nec uero praetermittam, quanquam reticere cogitaueram, discrimen, quod inter felicem & beatum nonnulli sciuerint (nā omnis orationis initio soleo uerborum, quae in disputatione uersantur, notationes exprimere, ut nominū ambiguitates tollantur, & rebus perspicuitas maior accedat) quod felicem dici existiment, qui bonis tantum animi instructus, beatum uero, qui omnibus bonis cumulatus est: tamen quando peritiores uiri utrunq; nomen dant eidem rei, apud me quoq; erit nominis utriusq; eadem significatio. Huic differentiae consimilis est ea, quā inter bene uiuere, & beate uolunt; ut bene uiuere sit cū uirtute uiuere, at beate uiuere cunctis bonis affluere.* MER. *Etsi leuis tibi, mihi certe non inutilis uidetur dictorum istorum animaduersio; qua mens ad dispiciendum doctorum hominum sententias exacuitur.* BAR. *Tu uero quid tecum uersas?* NIC. *Illud meditor.* BAR. *Quidnam?* NIC. *Dixti, ni quid me fallit, beatitudinem natura expeti. Nam dixti qui beatitudinem ad uoluptatem refert, eum cupere quod natura expetit. Velim hoc a te planius explicari.* BAR. *Dixi, ac lubens faciam quod rogas, nihilque residere in animis uestris patiar,*

quod rerum intelligentiam perturbet. Finis in deliberationem non uenit, nec summum bonum in electione ponitur: sed quae alterius gratia, non per se expetuntur, ea dubitationem afferunt, & consultatione egent. Nulla igitur summi boni electio est; quia nullam habet deliberationis causam, cum per se expetatur, utpote ab omni parte perfectum & absolutum. Est autem electio eorum, quorum est deliberatio. Nec de fine consultamus, utpote perfectissimo & extremo bono, sed ad ea deligenda consultationem adhibemus, quæ censentur ad finem conferre, ut meliora et conducibiliora eligamus. Atqui summo bono nihil melius habetur, neq; ad aliud pertinet, & omnibus numeris expletum est. Quamobrem beatitudo, quia expletum bonum est, ac finis, necessario expetitur: nec potest homo uelle non esse beatus. Cuius rei appetitus primus uoluntatis motus dicitur, non ab animi consilio, sed a naturae ui excitatus, constans atq; perpetuus, in omnibus, atq; omni tempore idem. Itaq; homo beatitudinem primum omnium naturaliter desiderat; quanquam propter imbecillitatem mentis, & opinionum errores, ac morum prauitates, quibus a pueris imbuimur, eius inquirit locum. Sed arbitror non abs re fore, quæ a plerisq; uiris doctis facta sunt appetitus genera edicere, quo res illustrior fiat. MER. Nihil a re

alienum

alienum puto, quod ad docendum ualet. BAR. *Aduertite animum, quòd appetitus significatione cuiuscunq; rei propensionem modo intelligi uolo: quæ si rerum est sensus rationisq; expertium, naturalis uocatur; quoniam neq; sensu, neq; ratione præcipiunt quo inclinantur, sed sola impulsione naturæ mouentur; sicuti ponderosa in terram sua grauitate feruntur, & in cœlum sua leuitate his pugnantia. Si uero sensu, non etiam ratione impelluntur, priuatim appetitus dicitur, quæ sensuum commotio est; sic bruta animantia sequuntur ea, quæ secundum sensum sunt, fugiuntq; contraria. at qui mente & ratione ducuntur, in his uoluntas proprie appellatur rationis capax appetitus. Ac quoniam sensus tantum res præsentes & singulares percipit, uniuersale bonum capere non potest: mens, quæ cum effectis causas, & cum præteritis futura coniungit, sola uniuersales rationes intelligit. Et quoniam libera est tenens in sua potestate suarum actionum principium, potest idem uelle ac nolle: bruta uero animantia, quia sui iuris non sunt, sed suarum motionum principium in naturæ potestate situm habent, non possunt non id persequi, quo sensu & natura incitantur. At quia uoluntatis ad beatitudinem inclinatio ex electione non proficiscitur, nam omnem animi ratiocinationem præuertit, sed ex instigatione naturæ, aut alicuius princi-*


palioris causæ, summum bonum naturaliter expetitur, non sensu, qui uniuersum bonum comprehendere nequit, sed uoluntate habente se instar naturæ: bona uero ad finem conferentia deliberationis causam afferunt, & animum in contrarias partes distrahunt, & mentis ratione ac consilio expenduntur. Quamobrem uoluntatis ad finem unus motus est a natura; propensio inquam ad finem; alter uero ad ea, quæ conducunt ad finem, ex selectione consurgit. Sed uereor ne alio euagetur oratio: ad ea, quæ proposuimus, redeamus. Memineris ne tu ea, quæ proposuerim? NIC. *Memini: scilicet quid beatitudo sit, & quæ ad eius rationem requirantur.* BAR. *Sic est. atq; alterum explicuimus; alterum restat explicandum. Equidem mihi formam & rationem beatitudinis contemplanti secundum ea, quæ a nobis de summi boni natura dicta sunt, hæ uidentur illius esse propriæ conditiones, ut perfecta, iucunda, et æterna sit. quoniã bonum, quod beatum facit, summum, delectabile, & perpetuum est. Quæ quidem apta inter se, & connexa sunt. Sane in cuius possessione felicitatem ponimus, id summum esse, extremum, atq; perfectum constat: & beatus erit is, qui nullius rei egeat. nam ea re miser esset, cuius indigens esset. Itaq; si nihil amplius optat, non uideo quid requirat, ut sit beatior. Proinde propheta cœlestem beatitudinem*

dinem ab omnium bonorum affluentia saturitatem uocat, Satiabor(inquiens Deo) cum apparuerit gloria tua. Ceterum tanti boni adeptio iucundissimam uitam efficit: quae profecto si amitti potest, beata esse non potest: nec in parte temporis, sed in perpetuitate uita beata dici solet. Cum igitur nihil habendum sit in eo genere, quod uita beata complectitur, si id possit amitti, certe ex perpetuis plenisq; gaudijs uita beata existit. MER. Certa haec mihi uidetur esse de beatitudinis conditione sententia: in qua prorsus omnes sumus. BAR. Bene est. Nunc postulare a me locus uidetur, ut inuestigem eum, in quem cadat beatitudo. neq; enim in res omnes cadit. Sed meo more abs te quaero, an quis recte dicatur beatus, qui neq; intelligit neq; sentit se aut absentem beatitudinem expetere, aut ea frui praesente? NIC. Mea quidem sententia non satis recte. Nam quem fructum capit, qui beatum se esse non cognoscit? BAR. Non igitur nobis impendentes montes, non subsidentem uallem, non uirentes arbores, non gemmantes uites, non enascentes stirpes, non nudos illos silices, non exesa cadentibus guttis saxa, non altas speluncas, non opacum nemus, non strepentem fontem, non per hortulos manantem riuum felicem beatumue dixeris? NIC. Minime quidem. BAR. Cur ita? NIC. Quia non modo ratione, sed etiam sensu

uacant. BAR. An fortasse pennatas aues, aut cornigeros tauros, aut ludētes in campis equos, aut pecudum greges libere per agros et rura pascentes beatos uocaueris? NIC. Sentiunt quidem illi uoluptatem aliquam. BAR. At corpoream. NIC. Certe. BAR. Quòd si bonum re cum fine consentit, finem autem nullum bruta animantia pręcipiunt, quia rationis expertia sunt, nec fructum quidem ullum summi boni percipient. non igitur beata? Naturæ dumtaxat illæ finem suum norunt, quæ mente prędita sunt, & rationes rerum intelligentia comprehendunt. Vnde perspicuū est neq; res sensu carentes, neq; ratione non utentes feras beatas esse, nec pueros quidem ipsos; in quibus ratio propter ætatem minime dum uiget. NIC. Ecquid etiam negabis belluis naturam, uel (ut contra atq; ille dicam) natura meliorem Deum modum ac finem præstituisse? BAR. Ais tu? NIC. Aio. BAR. At te rogo ad constitutum sibi finem num se ipsæ cōponunt, an ab omnium rerum parente & moderatore ordinantur? Est est cuiusq; rei propria & distincta ab alijs natura, suoq; in genere absoluta perfectio ab his quidē rebus intellecta, in quibus mens inest, ab illis uero ignorata, in quibus nulla uis rationis insita est. atq; hæ scienter appetunt quod naturæ suæ accōmodatum sentiunt, illæ inscienter; hæ magnum fru-

ctum ex perfectionis suæ adeptione capiunt, illæ nullum. Quae sane licet sensuū uoluptate capiantur, tamen rite beatarum nomen obtinere non possunt, quia sunt ratione uacantes. Quin ceterarum rerum naturae hominum commodis deseruiunt; homo uero ad fruendum summo uniuersi bono generatus est. Ideoq; solus homo præ ceteris animātibus uere felix et beatus habetur. Et ne pluribus urgeam, quis potest sine uirtute beatus esse? atqui nec uirtus potest sine ratione constare. Tandem felix iure non dicitur, qui Deo non fruitur, utpote summo bono. NIC. *Plane intelligo neq; in sensu carentes res, neq; in rationis expertes belluas, sed tantum in hominem cadere beatitudinem, qui diuini numinis cognatione tenetur.* BAR. *Hic hodiernae disputationis terminus esto. nam aduesperascit, & uobis in urbem redeundum est. reliquos dies in inquirendo summi boni domicilio impendemus; cuius naturam huius diei sermone euolutam & notatam habetis.* MER. *Tua profecto nos oratione mirum in modum recreasti, & ad futuram disputationem magis ac magis animum accendisti.* BAR. *Volo autem ea, quae de beatitudinis ratione breuiter dixi, totius nostri sermonis eße principia: e quibus cōcludemus quod uolumus, atq; ad exitum peruenie mus. Feciq; quod mathematici solent. nam illi semper ex concessis proba-*

probatisq; demonstrationes eliciunt; non aliter ipse modo a uobis ea mihi concedi uolui, unde uniuersa pendet oratio: ac primum omnium de summo bono in uniuersum ea disserui, quae alioquin in singulis deinceps proponenda fuissent. Sic earundem rerum fastidiosa repetitio tolletur, & ex concessis accommodatius singularum rerum consecutiones deriuabuntur. Oportet enim ex principijs aut per se notis, aut sumptis pro notis manare conclusiones, ut rem dubiam probandi ratio finem aliquem habeat.



IO. ANTONII VIPERANI

DE SVMMO BONO

LIB. II.



Quid bonum, & quot eius genera.

NON dubito Petre frater, ne hoc nostræ scriptionis genus in multorum reprehensiones incurrat: quorum alij negẽt huiusmodi sermones inter eos fuisse, quos disputãtes inducimus; aut me id ætatis tunc non fuisse, qui capere intelligentia, & mandare illos memoriae potuerim. Hoc quid aliud est, quam mortuis inuidere, atq; omnem morem dialogorum tollere? Reprehendant cum innumeris alijs omnium bonarum artium

tium scriptoribus Platonē; qui tam multa commentus est poëtarum modo in suis libris, quos in disputatione & dialogo scripsit. Immo uero potius nobis poëtica interdicant, qua personas, & personarum moribus conuenientes orationes effingere docemur. Existent quoq; alij reprehensores, quibus quia politioris genus orationis persequi uidear, me duplex pro uno negociū lectoribus exhibere incusent, prǽter rerum, curam etiam uerborum. Ad quos ita breui respondeo, me latine scribere, atque hanc operam dare, ut oratio emendata sit atq; dilucida. Nam barbaram & obscuram eruditi uiri omnes oderunt. Ornatum modicum & rebus aptum pro me quǽsiße, nimiamq; diligentiam & apparatum in scribendo quamminimum affectaße, qui meum ingenium norit facile credet. Quod si latinum sermonem ipsi minus intelligunt, æquū porro non est inscientiam suam meo labori obijcere. Contra alij me ut parum elegantem & cultum negligent, nimirum ij, qui se Ciceronianos esse profitentur, homines delicatißimi palatus atq; fastidij. Cuius generis hominibus quia difficile est quenquam satisfacere, æquiore animo patiar me ab illis cum alijs reprehendi. Neq; enim me prǽdico Ciceronis imitatorē adeo esse, ut eloquentiae parentis ore loqui me posse confidam. Quin non parua laude me dignum putarem

rem, si in aliena lingua uel grammatice loqui scirem, nedum elegāter & ornate. Adhoc multa mihi explicanda fuerunt a latinis scriptoribus aut minus tractata, aut penitus ignota. Siquidem philosophia, atq; ea dumtaxat, quae ad uitam & mores pertinet, haud scio (ne Senecam memorem non forte satis cultum philosophum) a quo alio quam a Cicerone tractata sit: theologia uero prorsus a nullo illorum cognita fuit. Solum extant tres Ciceronis de natura Deorum libri; qui aut quamparum, aut omnino nihil ad nostram theologiam, nisi ad illorum religionem redarguendam faciunt. Nostram theologiam qui primi tractare cœperunt nō quidem meo iudicio barbare, sed non Ciceroniane illam explicuerunt magis rebus studentes quàm uerbis. Atqui rebus nouis noua uerba imponenda fuerunt. Sed latina uerba innouare solis latinis authoribus fas esse existimo; qui in sua lingua recte id faciunt: aut etiam his, qui latinam linguam optime calleant. Innouarunt tamē apud nos per multa; quae licet nullam sapere latinitatem quibusdam uideantur, nihilominus propter rerum nouitatem, & uerborum egestatē recipienda fuerunt. At elocutione circumscribendae sunt res simplices, quae latinis notis carēt. Hoc ab oratore quidem fit, qui ad animorū motum orationem intendens in amplificando laudem

dem aßequitur, non ab artium preceptore, quē fidem petentem omnis circuitio dedecet. quoniam auditor certis uocibus docendus est. Quãobrem prudentes & doctos uiros facilius mihi ueniam daturos spero, si interdum minus latine rem aliquam dixero a latinis illis scriptoribus ignoratam. quanquam pro mea uirili conabor ita dicere, ut barbarie quamminimum inquinetur oratio. Aut ne tam grande nefas est cũ claudis uersantem aliquando claudicare? nec mirum esse debet barbarorum libros euoluentem nonnumquam barbare loqui, sicut ambulantem in sole colorari. Nec isti quidem Ciceroniani, si Ciceronis iudicium probant, qui à philosopho eloquentiam non flagitat, aspernari ullius scripta deberent, cum carent ea copia & ornatu, quo ipsi libros suos distinguũt; ut ne, dum inelegantem aliorum orationem damnant, imprudentiam suam & inscitiam prodant: Ego autem mallem impolitus, quam ineruditus uideri. Tandem id statui facere, ut dũ a barbaris reijcior, ad latinos confugiam; dum a Ciceronianis respuor, barbaris me scribere dicam. Nec certe pudebit unquam fateri quod nesciã, nec corrigi quod peccem. Sed interea dum hęc loquimur, nostri ad F. Bernardinum Barbanum uenerunt, ut illum de summo bono altera disputatione diserentē audirent. Qui cum suo quisq; loco

ſub quercu conſediſſent, Barbanus ſic dicere incepit. Quoniã externa diſputatio nobis quæ eſſet beatitudo explicuit, deinceps uidendum arbitror unde ſit. Nam beatitudinem eiuſmodi eſſe, qualem deſcripſimus, omnes philoſophorum ſcholae una mente & uoce conſentiunt: ſed ubi locanda ſit magna diſſenſio; ac quot appetitiones, tot ſententiae. Quærimus igitur in quo finem hominis conſtituamus. Vt autem ratione & uia procedat oratio, boni uim atq; naturam primum omnium inſpiciemus. ſic enim opinor rectius ſummi boni ſedem inueſtigabimus. Nec uero beatitudo aliud eſt, quam ſummi boni adeptio. MER. Recta ſane ingrederis: et quando nos dociles reddidiſti, erimus etiam attenti tam utili & neceſſaria quæſtione propoſita. BAR. Res quidem ſcitu digna eſt, & tota diſputatione præcipua: ſed tamen danda nobis uenia erit, ſi uerbis interdũ utemur minus a latinis authoribus uſitatis. nam a latinorum quampauciſſimis tractatam philoſophiam uidetis; quae tantũ a græcis exculta fuit; nec uniuerſam quidem eam, ſed unam eius partem; quae ad bonarum ac malarum rerum cognitionem pertinet. Ideoq; multis doctrinae proprijs uocabulis caremus, quibus grçci abundant. Et quod grauius eſt, aliquot etiam factis a noſtris in magna inopia ſuperbe & ingrate faſtidimus: ac malumus rem unam pluribus dicere, quam uno uerbo

exprimere, si aut inusitatum, aut peregrinum, aut incultum uisum fuerit; cum animus sensis magis uacãs quam uerbis nescio quomodo inuitus a magnarum cogitationũ intentione huiusmodi circuitionibus distrahatur. MER. Nos tam diligenter perpolitã orationem in philosopho, aut theologo minime desideramus; nec laboramus de uerbis, dum rem intelligimus. BAR. Quando per uos mihi licet uti uerbis rem magis exprimẽtibus, etsi minus a latinioribus usurpatis (quãquã operam dabo semper, ut seligam e barbaris quãmaxime latina) ad patefaciendã boni uim & naturam liberius accedam. MER. Rem bonam ages. BAR. Exordiar autem ab ipsa definitione: unde præcipiunt omnem disputationem inchoari debere. Nec puto fas esse nobis ab ea definitione boni discedere, quam ueteres tradiderunt, & Aristoteles approbauit. Nimirum bonũ id esse, quod ab omnibus natura expetitur. Quod uerbum etsi Cicero ex quo appellatum sit nescire se dicit, nõnulli tamen interpretantes a βοάω græco deducunt. quod clamare apud nos sonat. quoniam res omnes tam inanimae, quam animatae bonum desiderant. Sed eius uis declaranda adhuc melius est. Siquidem ista definitio solum boni efficientiam notat, qua cuncta ad se allicit. Quid autẽ sit, quod quisq; appetat, euoluendum. MER. Optime. BAR. Vnaquæq; res quod facit ad conuenientiam

& conseruationem suae naturae, id profecto du ce natura sequitur, fugitq; contrarium. Unde bonum id est, quod cuiusq; naturae aptum & accommodatum est. Quamobrem boni notione congruentem rei modum intelliges. NIC. Audio. BAR. Igitur quia unaquæq; res seipsam diligit, naturalis est cuiusq; ad bonum inclinatio, auersioq; a malo. NIC. Utiq;. BAR. Prudenter itaq; ueteres bonum ab eius effectione descripserunt id esse, quod omnia naturaliter appetunt. NIC. Ita uidetur. BAR. At uero iam perfectũ in eandem uenit, quam bonum sententiam. NIC. Quo modo? BAR. Eo modo, quo fini & perfectioni eadem subiecta res est: nam utraque uoce in suo genere cuiusq; rei absolutio denotatur. Atqui bonum & finis eandẽ uim habent, quatenus per se rem expetendã utrunq; nomen significat. Quod si boni & perfecti eadẽ significatio est, perquiramus etiã ipsam rationẽ perfecti. NIC. Bene. BAR. Ad perficiendã cuiusq; rei absolutionẽ duo requirun tur, quorũ alterum ea continet, quæ ad cõfectionẽ rei sunt necessaria; alterũ inter se ista rite coniungit, hoc est, plenus partium numerus, & ordo. Itaq; corpus hominis integrum & perfectum est, cum nulla parte mancum aut distortum cernitur. Proinde qua ratione partes omnes habet, perfecta res dicitur; quatenus uero partes seruat inter se congruenter annexas, bona appellatur. NIC.

Preclare. uerum quot qualesue sunt partes, ex quibus bonum conflatur? BAR. *Doctissimus Augustinus in libro, quem de natura boni cõscripsit, tres esse docet modum, speciem, & ordinem. Et quidem singulae res a Deo formam sortitae sunt propriam, certis finibus descriptam, suae aptam conuenientemq; naturae. Hinc res concretas & mouentes sensum uidemus certa dimensas materia, ac peculiari specie formatas, qua ad proprias quasdam et præcipuas operationes institutæ sunt. Nec solum res singulas ab uniuersis separatim perfectas, sed cum uniuersis quoq; consentientes & cõgruentes intuemur: ex quarum inter se ordine mira uniuersitatis pulchritudo absolutioq; consurgit: ita ut cum singulae res per se bonae sint, simul iunctae tamen uniuersae ualde bonae existant. Idem diuus Augustinus modum, speciem, & ordinem, quibus res omnes separatim & cõmuniter constare dixit, ad mensuram, numerum, & pondus alibi redigit: secundum quae legimus in libro, qui Sapientiae inscribitur, Deum uniuersa creasse. nam qui cũcta composuit Deus sua quæq; uirtute modificatur, sapientia informat, bonitate stabilit, uniuscuiusq; rei uim & naturam referens in seipsum. Itaq; cum mensura modus, cum pondere ordo, cum forma numerus conuenit. nam & Aristoteles formas, quae materiam interpungunt, numeris germanas esse confirmat.*

Quae

Quae quidem perficientes partes quo nobiliores & præstantiores sunt, eo magnificentius & illustrius exiſtit id, quod ab illis cōponitur. NIC. *At sine te a me interrogari.* BAR. *Lubenter sinā.* NIC. *Iſtorum trium, quibus constare bonum dixti, num suapte natura quodq; bonum etiam est ita, ut rursus alium modum, formā, ordinemq; deposcat?* BAR. *Haudquaquam. esset enim modorum, formarum, & ordinum infinitio. Sed eatenus bona sunt, quatenus bonum construunt: non secus ac color albus eſt, quo res alba efficitur. Sed adhuc rem aliam a te percunċter.* BAR. *Percunċtare.* NIC. Nunquid non *Deus bonus eſt?* BAR. *Bonus? maxime.* NIC. *Quod si bonus est, & cuiusq; rei suus eſt, ut dixti, modus, quē modū eius naturae pones?* BAR. *Nullum. quia nō est finite bonus, cuius nullum principiū, nullumq; extremum est: sed, ut Damascenus loquitur, super bonus. aut certe hunc peculiarem & propriū solius diuini numinis modum ſtatuemus, ut nullum habeat bonitatis suae modum.* NIC. *Satis a te postulationi meae faċtum est. reliquā disputationem persequere.* BAR. *Aperiendum nunc est quo modo bonum re etiam cum ente conueniat. Voco ens quod græci τὸ ὄν, latinorum aliqui quod est dixerunt, entis nomen repudiantes, simul & essentiae, quae græcis eſt οὐσία.* MER. *Equidē quid inter ens & quod est intersit nō uideo; curue*

nomen essentiae respuerint, non intelligo. cũ nullum uerbum haberent, quod melius οὐσίαν *exprimeret.* BAR. *Mihi certe harum uocum usus inopiae causa a uobis cõcessus est.* MER. *Concessimus, atque iterum concedimus.* BAR. *Primum ad probandum bonum cum ente maximam cognationem, immo eandem pene uim habere, diuinae scripturae testimonio, cuius authoritas apud nos maxima eße debet, adnitar. Quicquid in uniuerso est uel Deus est, uel res effecta a Deo. Atqui res omnes, quas Deus procreauit, bonas esse Paulus apostolus asserit in epistola, quam ad Timotheum scribit. nec Deus non erit bonus, qui cuncta bona molitus est. Omne igitur ens bonum est. Nec solum diuino scripto, sed etiã alijs argumentis hoc ipsum probatur. Quæcunq; ita connexa sunt, ut ullo modo inter se nec diuelli nec distrahi possint, omnino re copulata, atq; eiusdem generis sunt. atqui bonũ sinu suo ens coërcet. constat enim bonum id eße, quod perfectum. nec potest quicquam esse dicive perfectũ, si in rerum natura non sit: quod autem in rerum natura est, ens nominatur. Vides igitur boni, entis, atq; perfecti quo modo una eademq; sententia sit?* NIC. *Video. quid præterea.* BAR. *Duo sunt philosophorum propria uocabula, quibus rerum uirtutem uitiumq; significant, scilicet actus, & potentia. Potentiam uocant, quam græci* δύναμιν, *nostrorum aliqui facul-*

cultatem, nō agendi, hoc est, ui sua aliquid facien di, sed aliquid extrinsecus accipiēdi, idest, quasi ferendi & patiendi. Pati enim philosophis est ali quid ab alio recipere. Actus quod habeat proprius nomen, & significantius apud latinos haud quidem scio. Est autem actus uox rem esse signifi cans: potentia quod nondū sit, sed quod esse possit. Ex quo ens actum esse aiunt, ac deinceps perfectum. Igitur bonum, quia perfectum est, suo complexu ens continet, nec genere ab illo separatur. Adhoc ingenio & doctrina præstantissimus Augustinus a te peteret, ut illi ens, quodcūq; uelles, dares: tum ubi quod uolueris dederis, rogaret, an ulla res eßet, quae tuo enti posset obesse? si responderis nullam omnino rem illi posse obesse, tunc inferret ens illud satis superq; bonū esse, quod nulla re poßet labefactari; sin posse dixeris, sic etiam confici quod proposuerat assereret. Nam si nocere est bonum imminuere, certe non potest ea res damnum accipere, in qua nihil est boni. Ita utrinq; concludente argumento captum te senseris. NIC. *At quando intellexi quo pacto bonum et ens secum consentiant, audire etiā uelim si modo aliquo inter se differāt.* BAR. *Hoc differunt, quod animus noster boni notionem percipiens, aliquid aliud præter entis cognitionē capit. nam cum in animo entis notio fit, tantummodo rem eße mens aducrtit: cum autem boni notio*

generatur, non modo rem eßse, sed etiam expetendam esse intelligit. Hac igitur ratione ens & bonum inter se discernuntur, quod boni intelligẽtia edicit uim quandam enti inesse, cur expetatur. Semper autem prius in animum cadit notio entis, quam boni. nam quicquid intelligentia consequimur, semper id prius esse, quam tale esse concipimus. nec potest mens nostra ullam boni rationem comprehendere, si nullam entis notitiam antecesperit; entis uero naturam sine ulla boni cognitione potest. atq; ut menti prius sese offert ens, quã bonum, sic quoq; prius ens, quam bonum, a mente percipitur. Sed & bonum ente, ut genere, definitur. definitur enim bonum eßse ens perfectum. ens uero non neceßse habet bono definiri. Quod si id, quod adhibetur ut genus ad declarãdam alicuius rei definitionem (quemadmodum docent dialectici) natura prius est eo, quod definitur; profecto ens bono prius erit. nam in exprimenda propria boni ui generis uicem tenet. Veruntamen si obijcias interdum alicuius rei propriam aliquam potestatem animo notari eius non percepta natura, respondebo, nunquam proprietatem ullam cuiusuis rei perfecte poßse cognosci, non prius cognita eius notione, imperfecte uero posse. Quin proprietatem illam prius animus concipit, quod sit, quam quod talis sit. Et ut breuiter dicã, quicquid ab intelligentia comprehenditur, quatenus in rerum

in rerum natura est, comprehenditur. Quare notitiam boni in animo anteuertit cognitio entis. Nec tamē existimetis idcirco boni nomen aliquid exprimere, quod ens ui sua non contineat. quandoquidem (ut demonstratum est) ab ente bonū re non secernitur. sed uti reliquae entis proprietates, (est enim bonum entis proprietas) solo uerbo & significandi ratione distinguitur. Hæc tamen pluribus dißerenda metaphysico relinquamus. Nos ex eius quasi officina tantum ea mutuati sumus, quae ad patefaciendam boni naturam utilia fore censuimus. Sed oritur quæstio subdifficilis, & inter uiros doctos uersata. NIC. *Quae isthæc est?* BAR. *An boni ratio solum in appetendo consistat, hoc est, an bonum entis significationi aliquid aliud addat, quā (liceat ita mihi per uos loqui) optabilitatem, entis inquam ad appetitum relationem. Etenim quia boni nomen ad aliud relatae rei uox est. finitur enim id esse, quod res omnes appetunt. nonnulli aiunt solam entis relationem ipsam boni rationem esse, nihilq; aliud significari boni uerbo, quam ens, quod ad aliud cōfertur. Ego uero aliter sentio. Nam illa definitio tantū declarat bonū cum fine conuenire: sed cur expetatur, aliā causam afferat neceße est: eiusq; natura prius extet oportet, quā ut ametur. Et si propria potestas boni est (sicut Dionysius Areopagita inquit) ut sese alijs communicet & quasi diffun-*

diffundat, sane prius esse bonum, quam tale esse concedes; atq; in eo causam inesse, cur expetatur. optabile enim est, quia bonum. Sed rem planius exponam. MER. *Iure. nam res subtilitate sua hebetiorum mentes facile præteruolat.* BAR. *Est quidem in rebus a natura insita ad rem sibi conuenientem propensio; quae uulgo appetitus nuncupatur; est etiam rei species, quae appetitui obijcitur; est postremo ad oblatam sibi rē appetitus cōmotio. equidem appetitus ab obiectae rei forma mouetur. Ex quo appetitae rei natura ante appetitus motionem est: neq; ab appetitus cōmotione boni natura perficitur, sed rei perfectio sua specie appetitum ciet, atque ad se allicit. Quapropter appetitae rei ad appetitum respectus non est boni natura, sed ex eius natura existit. Ac quēadmodum aspectus non est ratio coloris, sic optabilitas non est ratio boni, quae in rei perfectione consistit. Tum si bonum res nulla est, sed solum nomen rei ad appetitum relatae, quæso Deus antequam mundum procreasset, num bonus etiam dicendus fuisset? negare uidetur nefas: si cōcedis, rogo quam ad rem eius bonitas cōferebatur, cum præter eum nulla res esset? Sed & mundus nōne tibi bonus esse uidetur, quem mirabili ornatu distinctum, atq; omnibus bonis cumulatum & expletum cernis? at sub quam oro pariter cum alio rationem cadit? hoc enim est ad aliud referri.*

Hæc

Hae uere dicerentur de bono, quod alij confert, non de bono, quod cum alio non confertur. Est enim quoddam bonum, quod respectū nullam ad rē habet, quoddam, quod ad alterius rationem pertinet. nos autem de uniuerso genere boni loquimur. MER. *Bene rem satis enodasti, quæ nobis inuoluta primum, atq; obscurior erat.* BAR. *Ex his, quæ dicta sunt, (ut unde fluxit, eo remigret oratio) bonum, quia naturaliter ab omnibus expetitur, in eam, quam finis, sententiam reuocatur. nā est terminus, in quem fertur appetitus. Ideoq; boni ac finis apud ueteres eadem est definitio, et significatio. Ac quemadmodnm causa, quae græce* τελικὴ, *a nostratibus finalis appellatur, reliquarum causarum exitu quidem nouissima est, sed animo prima concipitur, sic bonum licet ens consequatur, prius tamen appetitum sua specie mouet. Interea nos pulchrum ut ad se digrediamur inuitat: quod etiammagis uoce abest, quam re a bono. Vultis ne paulisper, ni quid amplius hic hæretis, eo diuertamus?* MER. *I præ, sequemur.* BAR. *At uero eius naturam ex corporae pulchritudinis ratione facilius deprehendemus. Tria sapientissimi homines in corporis pulchritudine aduertunt, debitam partium magnitudinem, aptam illarum inter se compositionem, coloris toto corpore fusi suauitatem. Horum si quid absit a corpore, formosum illud dici nolunt*

ci nolunt. Etenim pusillos homines, licet recte compositi effictiq; sint, tamen quia carent iusta mole, nequaquam pulchros, sed concinnos uolunt nominari. membrorum uero cōpositio quasi lineamentis formam pulchritudinis effingit: quam deinde sanguinis uenustas colorat. Maxime autē naturae suae speciem pulchritudo in membrorum apta dispositione ostendit. Itaq; ut ab his, quae cernuntur & tanguntur, ad ea, quae ratione & sapientia comprehenduntur, rationes trāsferamus, aio pulchrum ex rei perfectionum tanquam partium apta inter se collocatione atq; ordine constare. Vnde a bono pulchrū hoc differt, quod bonum rei perfectionem notat, eius uero dispositionem pulchrum. Quare alterum ab altero seiungi non potest, quoniam ijsdem finibus utrunq; coërcetur. quāquam non eadem ui animi utrunq; percipitur. siquidem bonum ab appetitu expetitur, pulchrum a mente cognoscitur: illud ad uoluntatem, hoc ad intelligentiam defertur. NIC. *Istud amabo dic planius.* BAR. *Mos a me uobis semper gerēdus est lubētissime. sed te rogo an liqueat uobis boni uoce perfectionē rei significari?* NIC. *Liquet.* BAR. *Pulchri uero intelligentia perfectionis descriptionem concipi?* NIC. *Etiā.* BAR. *Atqui res suis locis disponere nonne munus est rationis & intelligentiae?* NIC. *Videlicet.* BAR. *Et pulchrum nonne recta perfectionum composi-*

tio

tio facit? NIC. Sic est. BAR. Igitur pulchri formam mens ac sapientia uidet, nempe quae ordinis uim & naturam intelligit. Quin corporea & aspectabilis pulchritudo ab his sensibus maxime capitur, qui plurimum intelligentiae deseruiunt, simpliciores atq; agiliores ministri, uisum inquam & auditum; quorum alter uenustatem, alter harmoniã sentit. et utraq; harũ certa partium & numerorum ratione consistit. Equidem appetitus dũ bonum sequitur, tantum quod secundum naturam est amat: sed eius descriptionem intelligentia contemplatur. Proinde pulchri uox ad boni notionẽ addit ordinem: ita ut bonũ simpliciter id sit, quod appetitui arridet; pulchrũ uero, cuius species cõprehensa animum delectat. Sed ne diutius hoc loco immoremur, declinante iam ad occasum die, quod restat iter conficiamus. Ac quando de bono tam multa diximus, ni quid præterea de eius natura ambigitis, uultis de ipsius appetitione pauca dicamus? MER. Etiam uolumus. BAR. Appetitum externa disputatione, si recte meministis, doctorũ hominũ sententia triplicem fecimus natu rae, sensus, & rationis: quanquã deinde sensus ad obiectae rei speciem cõmotio appetitus nomẽ proprium effecit. Aio itaq; bonum alio modo, cum eo caremus, expeti, alio, cum eius potimur, amari. nã cum absens perquiritur, uelut a materia forma efflagitatur, ferturq; ad illud appetitionis motus,

quasi

quasi ad metã cursus : cũ uero possidetur, in eius fructu appetitus conquiescit & tranquillatur. Vt uero differẽtibus nominibus ista discernamus, absentis boni appetitũ uocemus desideriũ, presentis uero amorẽ : ac desideriũ quidem inchoatae, absolutae uero rei amorem. MER. Cur desiderium inchoatae rei appetitum esse dicis, amorem absolutae? BAR. Quia nulla res est, quae naturae suæ uim omnem requirat. nam alioqui non eßet in rerum natura, si omni perfectione careret, quandoquidem in nulla entis potestate esset. Quod si in rerum natura est, uim aliquam nactam esse oportet; quoniã entis aliquid assequuta est. Nulla igitur res, saltem quia est, totam perfectionem suã desiderat : at potest tota sua perfectione gaudere. Idcirco desiderium inchoatae, amorem perfectæ rei appetitionem esse diximus. MER. Sapiẽter & argute dictum. BAR. Quãdo naturã boni descripsimus, agite inspiciamus, qua in re boni ratio perfecte et absolute insit. nimirũ quæ res in uniuerso ex se perfecta & bona sit omnem continens bonitatem. Verum ni superuacaneum aut molestum uobis uidetur, paucis ea repetã, quæ de natura boni antea explicuimus. MER. Nobis in re obscura & perdifficili neq; superuacaneum id uidetur, neq; molestum est. NIC. Leuium rerum, & importuna repetitio ea est, quæ intelligentibus fastidium parit : sed dictorum commemoratio, quæ

recor-

recordationem rerum affert, quarum audientes meminisse oportet, perquam sane utilis est: quin etiam tunc grata, cum ad futuram dictionem aditum munit. BAR. Bonum itaq; idest, quod naturae suae aptum, & congruentem modum seruat. Si uero me roges quam uim subiectam huic nomini, cum modum dico, sentiam, respondebo perfectionis: ita ut cuiusq; rei in suo genere perfectio ipsa sit forma & ratio boni. Quae si etiam alteri prodest, tunc non solum sui, sed etiam alterius gratia res bona est. Semper autem boni quasi sedes & fundamentũ est rei uel sibi in suo genere aptus & conueniens modus, uel alterius quoq; naturae conferens perfectio. Habetq; finis rationem, ad quem nimirum uel sua procliuitate sensus mouetur, uel uoluntario motu animus instigatur, uel a natura insita uires unaquæq; cietur. Iam si rerum uniuersitatem consideremus, nullam rem esse uidebimus, quæ non a Deo facta & perfecta sit: Deũ uero nullum ortum habere, sed eundẽ semper & sui similem extitisse. Ex quo aperte conficitur solum Deum per se bonũ esse. Intuere terrã in media mundi sede locatam, circumq; fusam aquam, & ambientem utrãq; aëra; qui & ipse coërcetur ab igne: ex quibus elementis nasci omnia dicuntur. mox suspice candentes cœlorum orbes, in quibus certis locis fixas cernimus innumerabiles stellas,

errantes etiam aliquas, et cõtrario motu, quã cælum extimum, sese uertentes: quarum uaria concitatione diuersas res quotidie generari uidemus. demum contemplare totius orbis faciem & ornatum, uniuersitatis ordinem, ac tantae molis gubernationem: ipsamet rerum uniuersi natura te confiteri coget huius tam præclari & eximij operis unum aliquem effectorem & molitorẽ esse æternum & immortalem, qui a nullo genitus sit: cũ omnium rerum unũ aliquod principium esse oporteat, quod ipsum semper fuerit nullo unquam ortu generatum. Hæc autem præstans & excellẽs natura, quæ mundum effecit, mouet, regit & gubernat, Deus est, qui unus semper atq; idem est, principij nomine a diuinarum rerum peritis iure maximo nuncupatus. quo etiam nomine Christus, quod Deus eßet, non iniuria seipsum appellauit. Quamobrem cum Dei optimi maximi nulla origo sit, eum per se bonum eße necesse est; quae uero a principio generata & orta sunt, ea non a se, sed a principio bona sunt. Cum igitur res ea uere, et a a se bona sit, quæ nulli bonitatem suam acceptam refert; istius autẽ modi solus sit Deus, cuius nulla origo reperiri potest, certe solus a se bonus est Deus. NIC. Atqui ex apostoli Pauli sententia non dixti omnem rem a Deo procreatam bonam esse? BAR. Dixi. at tu res procreatas a Deo a se ne, an a Deo bonas esse inquies? NIC. A Deo.

BAR.

BAR. Quin vt dem tibi per se bonas esse, tu tamen illarum virtutem, ad diuinũ nihilominus referes necessario. NIC. Quamobrem? BAR. Audi. Bonum, quod sępe commemoro, eandem uim habet, quam finis. Itaq; quod est bonorum extremum, id est omnino per se bonum. Ac quemadmodum princeps & perfecta causa in efficiendo maxime dominatur, nec secundæ & proximae absq; primariae ui & instinctu quicquam efficiunt, sic medij secundiue fines sine ultimi respectu mouere nil poßunt. Quare ad Deum ultimum & extremum bonorum oportet uniuersa bona referri. Patet igitur Deum per se bonum eße, quia nullum extra se, aliumue a se finem respicit; sed ad se ipsum omnia reducit. NIC. Egregie. BAR. Præterea Deo nihil attribui potest, quod eius naturae adiunctum credatur; sed quicquid in eo inest, id a natura diuina non seiungitur; quae summe simplex est, nihil habens admixti, omnisq; cõcretionis expers & iunctionis: in nobis uero sapientia, scientia, uirtus, & huiusmodi qualitates aliae nostrae naturae adiũctae sunt res, nec eiusdem cum natura rei, sed diuersae. Quocirca solus Deus uere & perfecte bonus est, in quo bonitas est eiusmet diuina cœlestisq; natura. Quin etiam proprie bonus est, qui solus per se talis est; alioquin imperfectus foret, si per se talis nõ esset. nam aliquid aliunde reciperet. Et cuiusuis quidẽ

rei natura re aliqua extrinsecus accedente perficitur, uel existētia, ut existat (sane proprius nomen aliud in præsentia mihi non occurrit, quo rē eam exprimam, qua cuiusq; natura existit) uel uirtute; ut suas actiones exerceat, uel finis adeptione, vt certo fructu lætetur. atqui alia existentiae, alia essentiae ratio est; & uirtus naturam recte afficit; a qua etiam finis distinguitur, quem non sine aliquo externo & aduentitio adiumento contingimus. Ceterum Dei essentia nulla existentia foris accersita existit; nec ullo attributo informatur, quæ nulli rei admiscetur; & seipsa contenta est, quae aliunde non pendet. Quare a se bonus & absolute perfectus est. Præterea immensus et infinitus est, nullo extremo nulloq; principio circumscriptus. sua igitur ui summe bonus est. Quin etiam diuus Augustinus huius rei fidē his argumentis facit. Cui nihil mali admixtū est, id uniuersum bonum continet: nam malum finiūt esse boni priuationem. Quamobrem a quo nihil boni detrahitur, id omni malo caret. atqui solus Deus est in uniuerso perfecte absolutus, purus, ut philosophi loquuntur, actus; qui fugit omnem extrinsecus aliquid accipiendi necessitatem. Tum quicquid tale est, quale ab aliquo fit, porro huius naturae potestas ad causae uirtutem reuocatur; ueluti receptus a ligno calor ad ardorem ignis refertur, qui ex se calidus est. atqui

ceterae

ceterae omnes res bonitatem suã in acceptũ Deo referunt. Omnis igitur bonitas ad diuinam bonitatem, ueluti ad fontem, reducitur. Patet igitur nullam rem, quae principium habet, a se bonã esse. Quid autem habes, inquit apostolus Paulus, quod non accepisti? aut quis prior dedit illi? & retribuetur ei. Sed quicquid usquam boni est, id a Deo est. Meritoq; sanctus Iacobus, Omne donum optimum, & omne datum perfectum desursum est a patre luminũ: nec male Homerus, quãquam male plures Deos facit, θεοὶ δωτῆρες ἐάων. NIC. At uero audi me. Cum uniuersitatis res bonas esse dicis, aliqua bonitate affectas illas dicere uideris: cum uero a Deo bonas esse ais, illarum bonitatem ad diuinam refers. Quaeso explica quomodo res uniuersae bonae sint & sua bonitate, & ad diuinam relata. BAR. Non inscite loqueris; & philosopho digna quaestio est: quam plane expediam. Quod uniuersae res bonae sint, praeter sacrae scripturae authoritatem, quae res omnes productas a Deo bonas uocat, etiam confirmari argumentis potest. Nam quicquid efficitur, ab aliqua causa efficitur; nec a sua causa dissimile est, sed habet similitudinem ad causam. atqui uniuersitas rerum a Deo genita est. habet igitur ad parentem suum & opificem similitudinem. Sunt ergo res uniuersae bonae, quando illarũ effector bonus est. Tum unaquaeq; res suum habet

modum, speciẽ, & ordinem, e quibus bonũ extat. sua ergo bonitate res quęq; consistit. Ad hoc quæ inter se contrarie opponuntur, eidem rei insunt, quamuis non eodem simul tempore. cadit autem in rem creatam malum. ergo cadit etiam bonum. Postremo nulla res est, quae non ullam habeat uirtutem aliquid efficiendi. ergo habet etiam causam, cur expetatur. quandoquidẽ in quo uis inest efficientis causae, in eodem inest ratio finis. NIC. *Satis quidem probasti res uniuersas bonas esse: proba easdem sua bonitate bonas eße.* BAR. *Quid autem aliud est certum modum, speciem, & ordinem habere, quam habere propriam bonitatem?* NIC. *At quo modo cuiusq; bonitas ad diuini numinis bonitatem refertur?* BAR. *Attende quae doctrina, pietate, & genere insignis Thomas Aquinas in hanc rem scribit. Trium horum modorum uno aliquo rem quampiam uel bonam, uel calidam, uel nigram, uel alio quouis nomine eiusdem generis nuncupari ait, aut ab inherente sibi & insita forma, ueluti parietem ab infuso illi candore album nominamus; aut ab externa et aduentitia; sicuti animam dicimus sanam ab animantis sanitate; aut ab insita simul & extraria, quemadmodum aër solis & suo pariter splendore nitescit. Hoc pacto res a Deo generatae bonae sũt & sua, et diuina bonitate. Quæ quidẽ bonitas diuina omnis generis perfectionum & efficiens cau-*

sa, & finis, & exemplar est. NIC. *Egregie diuus Thomas, ut cetera apte, et dilucide.* BAR. *Ex his perspicuum est Deum ab omnibus rebus naturaliter expeti: quoniam rei cuiusq; perfectio diuinae bonitatis quædam est communicatio. Ex quo in omnibus rebus Deus inesse dicitur, quia, ut sit in rerum natura, unicuiq; tribuit. Quamobrē si unaquæq; res perfectionem suam desiderat, haud dubium est, quin etiam diuini numinis communicationem ascifcat. Quam licet ascifcere se non intelligat res, quae mentis ac sapiētiae expers est, tamen insito quodam instinctu ad illius appetitionem excitatur. Restat ut bonum in sua genera dispertiamus: quae ex differentibus inter se rerum naturis constituuntur.* NIC. *Aduerto quem serues docendi modum. Primum una cum nominis interpretatione bonum ipsum definisti: nunc in genera partiris.* BAR. *Prima boni partitio nobis hęc sese offert, quae illud in duo genera diuidit: quorum alterum ab alio fluat, alterius uero nulla sit origo: hoc a solo Deo possidetur, cuius nulla origo reperiri potest, illud ceteris rebus a Deo cōmunicatū est. Cui quidē diuisioni similis est illa, quae bonum secat in id, quod a se, atq; in id, quod ab alio est. Nam bonum, quod a se est, nullum habet principium; quod uero ab alio est, sane oritur aliunde. A qua etiam non longe discrepat illa distributio, quae bonum partitur in natura & sim-*

pliciter bonum, & bonum ex adiunctione. Voco natura bonum, quod naturae adiunctum non est, sed est ipsamet natura: ex adiunctione uero, quod ab aliqua re extrinsecus adueniente absoluitur: cuiusmodi est rerum creatarum bonitas. quarum essentia existẽtia, uirtus operatione, finis alio extra se extremo perficitur. Verũ in Deo nulla perfectio fingi potest, quæ non ipsius natura sit simplex & undequaq; absoluta. Et ut substantiae, quã οὐσίαν græci uocant, nulla res (quemadmodũ philosophi docẽt) cõtrarie opponitur, & comparatiuam magnitudinem non habet, sic in diuinum bonum, quod natura bonũ est, nihil mali potest accidere, & comparabile non est, ut remissius uel intensius fiat. quoniam uniuersam bonitatem complectitur. Reliquae res, quae præ suorũ terminorum exiguitate nequeunt uniuersam bonitatem capere, pro suo quęque genere magis minusue bonae sunt, & repugnantem naturæ suæ qualitatem recipiunt. Quarum sane bonum haud imperite mali sedem uocaueris: quoniam defectionem patitur. Atq; ut res illa cæca merito dicitur, quae cum nata apta sit oculorũ sensum habere, nõ uidet tamen; sic boni priuans contrarium (neq; enim malum aliud est, quam boni priuatio) in id cadit, quod natum aptum est aliqua perfectione finiri. Vnde cum bonũ dicimus, si nihil aliud addimus, Deum intelligimus: quippe cuius bonitas

eius natura est. Quamobrem Christus solum Deũ bonum esse prędicat: ceteris uero rebus boni nomen apponitur, ut cum bonum cœlum, bonã tellurem, bonos fructus dicimus. Itaq; (ut grammaticorum more loquar) boni nomen substantiue datur tantum Deo, alijs uero rebus adiectiue. His congruens accedit illa diuidendi bonũ ratio in immutabile, atq; mutabile. Est autem immutabile, quod semper idem, ac sui simile manet: cuiusmodi unus dumtaxat est Deus, qui nec tempore, nec loco, nec consilio, nec uoluntate, nec re ulla mutatur. Quod de se ipse ait per Hieremiam prophetam, Ego Deus, & non mutor. Ceteræ uero res inconstantes sunt, atque flexibiles. Nã quæ sub aliquem sensum cadunt, nos ipsi ea cernimus nasci & interire, minui atq; augeri, modoq; hanc, modoq; illam qualitatem formamq; subire. Et quid est Deum immortalem sub lunari hoc orbe, quod perdiu constantiam ullam & immutabilitatem seruet? Quid statuũ perturbationes? quid inclinationes temporum? quid rerum publicarum conuersiones memorem? quæ satis monent fallaces esse spes hominum, atq; inanes cogitationes, et operas. Simplicium quoq; mentiũ, quas hebręorũ more angelos nuncupamus, natura licet æterna sit, nihilominus mutabilis est. Nã illarũ æternitas a diuini numinis æternitate principium trahit. Tum etiam uoluntate mutabiles sunt, quia a-

ctionum suarum liberam potestatem habent, ut integrum sit illis hoc, uel illud sequi. Quod si uoluntatum, certe etiam consiliorum habent mutationem. Exemplo nobis est malorum dæmonũ mutatio: qui a diuino imperio desciscentes conditionem ex felici miserrimam obierunt. Quod uero beati (eos uoco beatos, qui diuino cõmercio fruuntur) rem ullam malam uelle amplius nequeant, diuini muneris hoc est, non ipsorum naturae. Quid charitatis intensio, quae in beatis etiam est, nonne uobis species quędam uidetur esse mutationis? Solus igitur Deus bonũ est immutabile, qui solus semper æternus et immutabilis est. Nec partitionem illam silentio prętermittam, quae bonum in uniuersale, et singulare distribuit. Facit enim cum dictis non parum. Nam singulare bonum est cuiusq; rei creatae sua propria & unica perfectio: uniuersale uero perfectiones omnes suo quasi gremio cõcludens, idem, quod summnm; immutabile, simplex, natura, a se, nec aliunde productum bonũ est. Quare boni significatio, quia primum notat Dei perfectam & absolutam naturam, deinde ipsius operum uirtutes, a diuina & efficiente causa ad effectas naturas deducitur. Quæ uocum deriuatio a dialecticis analogia nuncupatur. Facit ad propositam nobis de summo bono thesim pręterea in medium, et extremum boni diuisio. Vltimum est, ad quod cetera referuntur; quae uero ad ipsum

ſum referuntur, media ſunt : illud propter ſe,hoc extremi gratia optandum ; illud iure bonum,hoc commodum apte uocaueris . Quin extremum bonum illud eſt, in cuius adeptione animus conquieſcit ; medium uero ad conſequendum extremũ adhibetur:illud lætabile,hoc utile nominemus. Deus, qui principium eſt, idem eſt uniuerſarum rerũ finis ; atq; ut princeps cauſa in efficiendo,ſic in mouendo finis maxime ualet : Ipſe igitur extremum & ſummum bonum eſt : eoq; ſolo fruendum nobis eſt, reliquis uero rebus utendum. Quam rẽ animo quidam reputantes, & appetitus commotionẽ cum corporis motu inter ſe componẽtes, bonum in honeſtum,utile,& delectabile diſtribuerunt. Nã termino, in quem motus intenditur, honeſtũ; medio uero, per quod agitur corpus,utile ; at quieti delectabile oppoſuerunt. Honeſtum interpretare non ſolum quod eſt (ut tradit Cicero) cum uirtute coniunctum . hoc enim modo ſolum quod humanae rationi cõſentaneum eſt intelligeretur, ſed quicquid propter ſe expetitur : quod deinde adeptum delectationẽ affert . Quae porro bona quãdoq; re, quandoq; tantum ratione inter ſe diſcernuntur . Nam quod utile eſt, idem eſſe poteſt delectabile; & quod delectabile,honeſtum: non ſecus ac potio dulcis ad ualetudinem conferens utilis eſt, atq; ſuauis : uirtus etiam honeſta,& iucunda. tamen,ſi ſua quodq; ratione perpẽdamus, haud

haud dubio diuersa extiterint. Nonnulli in honorificum, laudabile, & utile bonum diuiserunt: sed honorificum appellarunt id, quod sui gratia expetitur, quale est felicitas; laudabile uero, quod licet aliquam dignitatem honesti habeat, tamen ad aliud refertur, ut forma, pudor, solertia; at utile, quod tātum ad rem quampiam cōmodo alicui est, ut diuitiae. Alij duo boni genera designarunt, alterum perfecti, alterū etiā perficientis: uocantq; perfectum, quod habet naturae suae conuenientē modum; perficiens uero, quod alteri prodest: illud sui tantum rationem concernere, hoc etiā ad rē aliam respectum habere. Neque enim bonū semper relate opponitur. Quin saepe quod perfectum est, aliorum perficiens est bonum. qualis inprimis Deus est sapiēs author & grādis opifex uniuersi, omnis boni fons & origo. Multae etiā res pro suo quaeq; genere huiusmodi sunt. Semper autē prius boni significatio ad id, quod perfectum est, deinde ad perficiens trahitur. Illa uero bonorum sectio in magna, media, minima, Deum excipit; cuius uirtus omnium comparationem uincit; dumtaxat ea, quae a Deo generata sunt, meminit, habentia inditae bonitatis primos, secūdosue gradus: ac quo res quaeq; magis naturae diuinae particeps fit, eo melior ac perfectior est. Declarat autem Augustinus minima bona ea esse, sine quibus recte uiui potest; qualia sunt bona corporis & fortunae: magna

magna uero bona, quæ rectam uitam efficiũt; quo in genere sunt uirtutes, rationi inquam consentaneæ & constantes animi affectiones: at media bona, quibus bene ac male uti possumus; cuius generis sunt naturales animi uirtutes, quas nostrates philosophi potentias appellant. Illarum enim est ad uitia uirtutesue capessendas usus. NIC. *Vnde obsecro tot boni diuisiones coëgisti? omnium eruditorum hominum libros euoluisse videris.* BAR. *Ipsamet notio boni diuidẽdi sui tot nobis uias aperuit. Nihilq; obstat, quo minus rem eandem multis modis pro diuersa ratione, quam eius ducimus, partiamur. Nunc quae ad hominem pertinẽt genera bonorum constituenda sunt; ut tandẽ extremum uideamus: quo nos omnes cogitationes atq; conatus intendere oporteat. Sunt autẽ omniũ consensu tria genera bonorũ Animi, Corporis, et Fortunæ. quãquã Cicero duo tãtũ genera primũ effecit, fortunæ, & naturae. Sed naturæ bona deinde in animi & corporis partitus nihil ab alijs dissensit. Fortunæ bona uocant, quæ extra nos sunt, ut patria, genus, opes, amici, honores, imperia, fama popularis, & quae his similia sunt. Verum plurali casu fortunae diuitias significant, & quam græci οὐσίαν, Quintilianus substantiam, Cicero facultates, iurisperiti bona ciuilia appellant: quae nimirum in ciuilis nostrae rei familiarem possessionem ueniũt. Nec quæro an sit ulla in uniuerso fortuna,*

aut

aut quid sit. nihil enim hic mea. sed ueterũ usurpans uocabula fortunae bona appello, quae extra nos sunt, nec nostram naturam ulla ex parte attingunt. Quae quidem bona quia pro diuini numinis uoluntate ignota nobis & occulta mortalibus conferuntur, ideo illa temere interdum dari malis indignisue hominibus censentur. Quod utiq; non ita iudicaremus, si Dei mens et cõsiliũ a nobis teneretur. At bona corporis sunt ualetudo, uires, pernicitas uelocitas, sensuũ uis & integritas, forma, suauitas coloris, uenustas oculorũ, candor dentiũ, lenitudo uocis, mollitudo corporis: quęcunq; aut ualetudinẽ & integritatẽ, aut pulchritudinem & uenustatẽ corporis spectant. Verũ animi bona laudabiles animi qualitates sunt. Quorum quædam insita sunt a natura, quædam studio & exercitatione comparata; ac quædam superiorem animi partem, quædam inferiorem perficiunt. siquidem animus in partes duas appetitũ & rationem distribuitur. Et naturae bona, quibus mens ornatur, sunt præcipue solertia, memoria, iudicium; quae etiam arte, & usu confirmantur: acquisita uero sunt doctrinae omnes, atq; scientiae. quarum tamen initia a natura ducũtur. Verecundia uero, cõtinentia, fidentia, affabilitas, benignitas, grauitas, & quae eiusdem generis sunt animi affectiones, tum laudabiles, quia uirtutem imitantur, tum naturales, quoniam a na-

tura

tura inferuntur, sunt ad appetitum attinentia bona. ceterum fortitudo, temperantia, iustitia, & his annexae uirtutes rectae sunt appetitus affectiones studio et consuetudine a ratione & sapientia confirmatae. Ac sane affectiones omnes, hoc est, animi ad rem quampiam propensiones, uel a natura sint, uel studio habitae, mores a latinis, a græcis ἤθη uocantur. quarum omnium moderatrix est prudentia. Exposui uobis breuiter quot, et quae sint ad hominem conferentia genera bonorũ. deinceps quærere oportebit, in quo beatam uitã constitutam esse uelimus: aut si finis in nullo horum ponendus sit, inuestigandum erit aliquod aliud extra nos, sed naturam nostram attingens bonum, quod nos beatos efficiat. At uero æquum non est omnem disputationis laborem a me sustineri: partem illius aliquam a uobis sumi decet. NIC. *Et quid est hic operae, quam nos præstare possimus?* BAR. *Prima disputatione quæ esset beatitudo indicauimus, tum ubi esset inquirere instituimus: ac primum boni fontes et genera inuestigare cœpimus. Vobis id nunc agendum est, ut tu Nicolae bona corporis, et fortunæ perscruteris, aduertasq; an beatitudo in illis domicilium suum posuerit; tu Merula bona animi indages, obseruesq; an hominis felicitatem secum iunctam habeant. Quod operis perficiendum restabit, ipse conficiam.* MER. *Equidem*

me

cauit; ut illi peregrinos, atq; aduenas mercatores excipiendi omnis occasio tolleretur: quorũ a cupiditate profecta studia facile imbecilles hominũ mentes inficiunt. Quid igitur mirum est, si ciuitas nostra mamertina, quod omniũ nationũ et gẽtium multitudo propter opportunitatem portus in urbẽ undiq; confluat, diuersis moribus & studijs dissipata nullo charitatis & amicitiae uinculo cõtinetur? sed auaritiae morbo indies grauius uehementiusq; afflictatur? Iacent bonae artes, nullusq; ingenuis et liberalibus doctrinis honos habetur: sed illud poëtae carmen semper usq; cantitatur,

O ciues ciues, quærẽda pecunia primũ est,
Virtus post nummos.

Quid enim pecuniae uirtutẽ anteponant, si (ut idem poëta loquitur.)

Et genus, & formam regina pecunia donat?

Verum obsecro, quid homine dignius? aut quid ad animi culturam accommodatius esse potest bonarum artium disciplinis, quae ex agresti ciuilem nobis uitam efficiunt? Reliqua sane bona, si corporis sunt, aut ægritudine uitiantur, aut senio conficiuntur; si sub imperium ditionemq; fortunae cadunt, nec satiare hominem possunt, cuius naturam non attingunt, nec in ullius possesione

diu

diu permanere ab hera sinuntur; quae inconstãs & instabilis nulla ratione, sed sola temeritate uersatur, & regitur. Rectae uero artes animum excolunt, mentẽ alunt, hominem a brutis animãtibus secernunt; nec auferri e nobis queunt, quae nullius potestati, aut improbitati subijciuntur, sed nostro studio & labore cõparantur, semperq; nobiscum manent, & in secundis rebus ornamento, & in aduersis solatio. Itaq; uides Petre frater quantum patri nostro debeamus, qui nos bonis artibus instruendos a pueris curauit, uir non solum natura, sed etiam uoluntate bonus. Nam, ut ille idem Plato sentit, inter corruptos cupiditatibus homines uirtute præstare, hominis est non solum a natura recte instituti, sed etiam intelligentis & seligentis bonum. Quamobrẽ Deo immortali gratias semper ago, & habeo, quod tali patre ortus & educatus sim; qui religiosorum morum præceptis, & bonarum artium doctrinis filios instituit, ad ea studia quemq; appellens, ad quae natura aptum uideret. Ac te quidem ad iuris ciuilis scientiam cohortatus est; qua ciuitates prudẽter & legitime gubernantur: me uero, quod a iudiciorum strepitu abhorrentem, atq; ab omni negociatione alienum agnosceret, politiori doctrinae & humanitati excolendum tradidit. quẽ deinde philosophia, præsertim ea, quae bonarum malarumq; rerum cognitionem profitetur, exce-

rei natura re aliqua extrinsecus accedente perficitur; uel existētia, ut existat (sane proprius nomen aliud in præsentia mihi non occurrit, quo rē eam exprimam, qua cuiusq; natura existit) uel uirtute, ut suas actiones exerceat, uel finis adeptione, vt certo fructu lætetur. atqui alia existentiae, alia eßentiae ratio est; & uirtus naturam recte afficit; a qua etiam finis distinguitur, quem non sine aliquo externo & aduentitio adiumento contingimus. Ceterum Dei eßentia nulla existentia foris accersita existit; nec ullo attributo informatur, quæ nulli rei admiscetur; & seipsa contenta est, quae aliunde non pendet. Quare a se bonus & absolute perfectus est. Præterea immensus et infinitus est, nullo extremo nulloq; principio circumscriptus. sua igitur ui summe bonus est. Qum etiam diuus Augustinus huius rei fidē his argumentis facit. Cui nihil mali admixtū est, id uniuersum bonum continet: nam malum finiūt eße boni priuationem. Quamobrem a quo nihil boni detrahitur, id omni malo caret. atqui solus Deus est in uniuerso perfecte absolutus, purus, ut philosophi loquuntur, actus; qui fugit omnem extrinsecus aliquid accipiendi necessitatem. Tum quicquid tale est, quale ab aliquo fit, porro huius naturae potestas ad causae uirtutem reuocatur; ueluti receptus a ligno calor ad ardorem ignis refertur, qui ex se calidus est. atqui

ceterae

ceterae omnes res bonitatem suã in acceptũ Deo referunt. Omnis igitur bonitas ad diuinam bonitatem, ueluti ad fontem, reducitur. Patet igitur nullam rem, quae principium habet, a se bonã esse. Quid autem habes, inquit apostolus Paulus, quod non accepisti? aut quis prior dedit illi? & retribuetur ei. Sed quicquid usquam boni est, id a Deo est. Meritoq; sanctus Iacobus, Omne donum optimum, & omne datum perfectum desursum est a patre luminũ: nec male Homerus, quãquam male plures Deos facit, θεοὶ δωτῆρες ἐάων. NIC. At uero audi me. Cum uniuersitatis res bonas esse dicis, aliqua bonitate affectas illas dicere uideris: cum uero a Deo bonas esse ais, illarum bonitatem ad diuinam refers. Quaeso explica quomodo res uniuersae bonae sint & sua bonitate, & ad diuinam relata. BAR. Non inscite loqueris; & philosopho digna quaestio est: quam plane expediam. Quod uniuersae res bonae sint, praeter sacrae scripturae authoritatem, quae res omnes productas a Deo bonas uocat, etiam confirmari argumentis potest. Nam quicquid efficitur, ab aliqua causa efficitur; nec a sua causa dissimile est, sed habet similitudinem ad causam. atqui uniuersitas rerum a Deo genita est. habet igitur ad parentem suum & opificem similitudinem. Sunt ergo res uniuersae bonae, quando illarũ effector bonus est. Tum unaquaeq; res suum habet

modum, speciē, & ordinem, e quibus bonū extat: sua ergo bonitate res quęq; consistit. Ad hoc quae inter se contrarie opponuntur, eidem rei insunt, quamuis non eodem simul tempore. cadit autem in rem creatam malum. ergo cadit etiam bonum. Postremo nulla res est, quae non ullam habeat uirtutem aliquid efficiendi. ergo habet etiam causam, cur expetatur. quandoquidē in quo uis inest efficientis causae, in eodem inest ratio finis. NIC. Satis quidem probasti res uniuersas bonas esse: proba easdem sua bonitate bonas esse. BAR. Quid autem aliud est certum modum, speciem, & ordinem habere, quam habere propriam bonitatem? NIC. At quo modo cuiusq; bonitas ad diuini numinis bonitatem refertur? BAR. Attende quae doctrina, pietate, & genere insignis Thomas Aquinas in hanc rem scribit. Trium horum modorum uno aliquo rem quampiam uel bonam, uel calidam, uel nigram, uel alio quouis nomine eiusdem generis nuncupari ait, aut ab inherente sibi & insita forma, ueluti parietem ab infuso illi candore album nominamus; aut ab externa et aduentitia; sicuti animam dicimus sanam ab animantis sanitate; aut ab insita simul & extraria, quemadmodum aër solis & suo pariter splendore nitescit. Hoc pacto res a Deo generatae bonae sūt & sua, et diuina bonitate. Quae quidē bonitas diuina omnis generis perfectionum & efficiens cau-

sa, & finis, & exemplar est. NIC. Egregie diuus Thomas, ut cetera apte, et dilucide. BAR. Ex his perspicuum est Deum ab omnibus rebus naturaliter expeti: quoniam rei cuiusq; perfectio diuinae bonitatis quædam est communicatio. Ex quo in omnibus rebus Deus inesse dicitur, quia, ut sit in rerum natura, unicuiq; tribuit. Quamobrē si unaquæq; res perfectionem suam desiderat, haud dubium est, quin etiam diuini numinis communicationem asciscat. Quam licet asciscere se non intelligat res, quae mentis ac sapiētiae expers est, tamen insito quodam instinctu ad illius appetitionem excitatur. Restat ut bonum in sua genera dispertiamus: quae ex differentibus inter se rerum naturis constituuntur. NIC. Aduerto quem serues docendi modum. Primum una cum nominis interpretatione bonum ipsum definisti: nunc in genera partiris. BAR. Prima boni partitio nobis hęc sese offert, quae illud in duo genera diuidit: quorum alterum ab alio fluat, alterius uero nulla sit origo: hoc a solo Deo possidetur, cuius nulla origo reperiri potest, illud ceteris rebus a Deo cōmunicatū est. Cui quidē diuisioni similis est illa, quae bonum secat in id, quod a se, atq; in id, quod ab alio est. Nam bonum, quod a se est, nullum habet principium; quod uero ab alio est, sane oritur aliunde. A qua etiam non longe discrepat illa distributio, quae bonum partitur in natura & sim-

pliciter bonum, & bonum ex adiunctione. Voco natura bonum, quod naturae adiunctum non est, sed est ipsamet natura: ex adiunctione uero, quod ab aliqua re extrinsecus adueniente absoluitur. cuiusmodi est rerum creatarum bonitas. quarum essentia existētia, uirtus operatione, finis alio extra se extremo perficitur. Verū in Deo nulla perfectio fingi potest, quæ non ipsius natura sit simplex & undequaq; absoluta. Et ut substantiae, quā οὐσίαν græci uocant, nulla res (quemadmodū philosophi docēt) cōtrarie opponitur, & comparatiuam magnitudinem non habet, sic in diuinum bonum, quod natura bonū est, nihil mali potest accidere, & comparabile non est, ut remissius uel intensius fiat. quoniam uniuersam bonitatem complectitur. Reliquae res, quae præ suorū terminorum exiguitate nequeunt uniuersam bonitatem capere, pro suo quęque genere magis minusue bonae sunt, & repugnantem naturæ suæ qualitatem recipiunt. Quarum sane bonum haud imperite mali sedem uocaueris: quoniam defectionem patitur. Atq; ut res illa cæca merito dicitur, quae cum nata apta sit oculorū sensum habere, nō uidet tamen; sic boni priuans contrarium (neq; enim malum aliud est, quam boni priuatio) in id cadit, quod natum aptum est aliqua perfectione finiri. Vnde cum bonū dicimus, si nihil aliud addimus, Deum intelligimus: quippe cuius bonitas

eius natura est. Quamobrem Christus solum Deũ bonum esse prędicat: ceteris uero rebus boni nomen apponitur, ut cum bonum cœlum, bonã tellurem, bonos fructus dicimus. Itaq; (ut grammaticorum more loquar) boni nomen substantiue datur tantum Deo, alijs uero rebus adiectiue. His congruens accedit illa diuidendi bonũ ratio in immutabile, atq; mutabile. Est autem immutabile, quod semper idem, ac sui simile manet: cuiusmodi unus dumtaxat est Deus, qui nec tempore, nec loco, nec consilio, nec uoluntate, nec re ulla mutatur. Quod de se ipse ait per Hieremiam prophetam, Ego Deus, & non mutor. Ceteræ uero res inconstantes sunt, atque flexibiles. Nã quæ sub aliquem sensum cadunt, nos ipsi ea cernimus nasci & interire, minui atq; augeri, modoq; hanc, modoq; illam qualitatem formamq; subire. Et quid est Deum immortalem sub lunari hoc orbe, quod perdiu constantiam ullam & immutabilitatem seruet? Quid statuũ perturbationes? quid inclinationes temporum? quid rerum publicarum conuersiones memorem? quæ satis monent fallaces esse spes hominum, atq; inanes cogitationes, et operas. Simplicium quoq; mentiũ, quas hebręorũ more angelos nuncupamus, natura licet æterna sit, nihilominus mutabilis est. Nã illarũ æternitas a diuini numinis æternitate principium trahit. Tum etiam uoluntate mutabiles sunt, quia a-

ctionum suarum liberam potestatem habent, ut integrum sit illis hoc, uel illud sequi. Quod si uoluntatum, certe etiam consiliorum habent mutationem. Exemplo nobis est malorum dæmonũ mutatio: qui a diuino imperio desciscentes conditionem ex felici miserrimam obierunt. Quod uero beati (eos uoco beatos, qui diuino cõmercio fruuntur) rem ullam malam uelle amplius nequeant, diuini muneris hoc est, non ipsorum naturae. Quid charitatis intensio, quae in beatis etiam est, nonne nobis species quędam uidetur esse mutationis? Solus igitur Deus bonũ est immutabile, qui solus semper æternus et immutabilis est. Nec partitionem illam silentio prętermittam, quae bonum in uniuersale, et singulare distribuit. Facit enim cum dictis non parum. Nam singulare bonum est cuiusq; rei creatae sua propria & unica perfectio: uniuersale uero perfectiones omnes suo quasi gremio cõcludens, idem, quod summnm; immutabile, simplex, natura, a se, nec aliunde productum bonũ est. Quare boni significatio, quia primum notat Dei perfectam & absolutam naturam, deinde ipsius operum uirtutes, a diuina & efficiente causa ad effectas naturas deducitur. Quæ uocum deriuatio a dialecticis analogia nuncupatur. Facit ad propositam nobis de summo bono thesim prętérea tũ medium, et extremum boni diuisio. Vltimum est, ad quod cetera referuntur; quae uero ad ip-

sum

sum referuntur, media sunt : illud propter se, hoc extremi gratia optandum ; illud iure bonum, hoc commodum apte uocaueris. Quin extremum bonum illud est, in cuius adeptione animus conquiescit ; medium uero ad consequendum extremũ adhibetur: illud lætabile, hoc utile nominemus. Deus, qui principium est, idem est uniuersarum rerũ finis ; atq; ut princeps causa in efficiendo, sic in mouendo finis maxime ualet : Ipse igitur extremum & summum bonum est : eoq; solo fruendum nobis est, reliquis uero rebus utendum. Quam rẽ animo quidam reputantes, & appetitus commotionẽ cum corporis motu inter se componẽtes, bonum in honestum, utile, & delectabile distribuerunt. Nã termino, in quem motus intenditur, honestũ; medio uero, per quod agitur corpus, utile ; at quieti delectabile opposuerunt. Honestum interpretare non solum quod est (ut tradit Cicero) cum uirtute coniunctum. hoc enim modo solum quod humanae rationi cõsentaneum est intelligeretur, sed quicquid propter se expetitur : quod deinde adeptum delectationẽ affert. Quae porro bona quãdoq; re, quandoq; tantum ratione inter se discernuntur. Nam quod utile est, idem esse potest delectabile; & quod delectabile, honestum: non secus ac potio dulcis ad ualetudinem conferens utilis est, atq; suauis : uirtus etiam honesta, & iucunda. tamen, si sua quodq; ratione perpẽdamus,

haud

haud dubio diuersa extiterint. Nonnulli in honorificum, laudabile, & utile bonum diuiserunt: sed honorificum appellarunt id, quod sui gratia expetitur, quale est felicitas; laudabile uero, quod licet aliquam dignitatem honesti habeat, tamen ad aliud refertur, ut forma, pudor, solertia; at utile, quod tãtum ad rem quampiam cõmodo alicui est, ut diuitiae. Alij duo boni genera designarunt, alterum perfecti, alterũ etiã perficientis: uocantq; perfectum, quod habet naturae suae conuenientẽ modum; perficiens uero, quod alteri prodest: illud sui tantum rationem concernere, hoc etiã ad rẽ aliam respectum habere. Neque enim bonũ semper relate opponitur. Quin saepe quod perfectum est, aliorum perficiens est bonum. qualis inprimis Deus est sapiẽs author & grãdis opifex uniuersi, omnis boni fons & origo. Multae etiã res pro suo quaeq; genere huiusmodi sunt. Semper autẽ prius boni significatio ad id, quod perfectum est, deinde ad perficiens trahitur. Illa uero bonorum sectio in magna, media, minima, Deum excipit; cuius uirtus omnium comparationem uincit; dumtaxat ea, quae a Deo generata sunt, meminit, habentia inditae bonitatis primos, secũdosue gradus: ac quo res quaeq; magis naturae diuinae particeps fit, eo melior ac perfectior est. Declarat autem Augustinus minima bona ea esse, sine quibus recte uiui potest; qualia sunt bona corporis & fortunae: magna

magna uero bona, quæ rectam uitam efficiūt; quo in genere sunt uirtutes, rationi inquam consentaneæ & constantes animi affectiones: at media bona, quibus bene ac male uti possumus; cuius generis sunt naturales animi uirtutes, quas nostrates philosophi potentias appellant. Illarum enim est ad uitia uirtutesue capessendas usus. NIC. Vnde obsecro tot boni diuisiones coëgisti? omnium eruditorum hominum libros euoluisse videris. BAR. Ipsamet notio boni diuidēdi sui tot nobis uias aperuit. Nihilq; obstat, quo minus rem eandem multis modis pro diuersa ratione, quam eius ducimus, partiamur. Nunc quae ad hominem pertinēt genera bonorum constituenda sunt; ut tandē extremum uideamus: quo nos omnes cogitationes atq; conatus intendere oporteat. Sunt autē omniū consensu tria genera bonorū Animi, Corporis, et Fortunæ. quāquā Cicero duo tātū genera primū effecit, fortunæ, & naturae. Sed naturæ bona deinde in animi & corporis partitus nihil ab alijs dissensit. Fortunæ bona uocant, quæ extra nos sunt, ut patria, genus, opes, amici, honores, imperia, fama popularis, & quae his similia sunt. Verum plurali casu fortunae diuitias significant, & quam græci οὐσίαν, Quintilianus substantiam, Cicero facultates, iurisperiti bona ciuilia appellant: quae nimirum in ciuilis nostrae rei familiarem possessionem ueniūt. Nec quæro an sit ulla in uniuerso fortuna,

aut quid sit. nihil enim hic mea. sed ueterũ usurpans uocabula fortunae bona appello, quae extra nos sunt, nec nostram naturam ulla ex parte attingunt. Quae quidem bona quia pro diuini numinis uoluntate ignota nobis & occulta mortalibus conferuntur, ideo illa temere interdum dari malis indignisue hominibus censentur. Quod utiq; non ita iudicaremus, si Dei mens et cõsiliũ a nobis teneretur. At bona corporis sunt ualetudo, uires, pernicitas uelocitas, sensuũ uis & integritas, forma, suauitas coloris, uenustas oculorũ, candor dentiũ, lenitudo uocis, mollitudo corporis: quęcunq; aut ualetudinẽ & integritatẽ, aut pulchritudinem & uenustatẽ corporis spectant. Verũ animi bona laudabiles animi qualitates sunt. Quorum quædam insita sunt a natura, quædam studio & exercitatione comparata; ac quædam superiorem animi partem, quædam inferiorem perficiunt. siquidem animus in partes duas appetitũ & rationem distribuitur. Et naturae bona, quibus mens ornatur, sunt præcipue solertia, memoria, iudicium; quae etiam arte, & usu confirmantur: acquisita uero sunt doctrinae omnes, atq; scientiae. quarum tamen initia a natura ducũtur. Verecundia uero, cõtinentia, fidentia, affabilitas, benignitas, grauitas, & quae eiusdem generis sunt animi affectiones, tum laudabiles, quia uirtutem imitantur, tum naturales, quoniam a natura

tura inseruntur, sunt ad appetitum attinentia bona. ceterum fortitudo, temperantia, iustitia, & his annexae uirtutes rectae sunt appetitus affectiones studio et consuetudine a ratione & sapientia confirmatae. Ac sane affectiones omnes, hoc est, animi ad rem quampiam propensiones, uel a natura sint, uel studio habitae, mores a latinis, a græcis ἤθη uocantur. quarum omnium moderatrix est prudentia. Exposui uobis breuiter quot, et quae sint ad hominem conferentia genera bonorũ. deinceps quærere oportebit, in quo beatam uitã constitutam esse uelimus: aut si finis in nullo horum ponendus sit, inuestigandum erit aliquod aliud extra nos, sed naturam nostram attingens bonum, quod nos beatos efficiat. At uero æquum non est omnem disputationis laborem a me sustineri: partem illius aliquam a uobis sumi decet. NIC. Et quid est hic operae, quam nos præstare possimus? BAR. Prima disputatione quæ esset beatitudo indicauimus, tum ubi esset inquirere instituimus: ac primum boni fontes et genera inuestigare cœpimus. Vobis id nunc agendum est, ut tu Nicolae bona corporis, et fortunæ perscruteris, aduertasq; an beatitudo in illis domicilium suum posuerit; tu Merula bona animi indages, obseruesq; an hominis felicitatem secum iunctam habeant. Quod operis perficiendum restabit, ipse conficiam. MER. Equidem me

me ad tantum onus parem non ſentio. BAR. *Non eſt quod ueſtrum quiſquam prae pudore laborem iſtum recuſet. Nam inter nos nullum faſtidium, nulla inuidia eſt; & animi utilis remiſſio petitur. Itaq; ſine ulla recuſatione, ut dixi, res agetur.*




IO. ANTONII VIPERANI

DE SVMMO BONO

LIB. III.



Neq; in fortunæ, neq; in corporis, neq; in animi bonis ſitam eſſe felicitatem.



ON immerito Petre frater ſapientiſſimus Plato ciues ſuos, quorum reip. formam admirabili deſcriptione depinxit, ullam cum peregrinis communionem uitae & ſocietatem habere uetuit; ne morum diſſimilitudo uoluntatum diſſenſiones inter eos pareret: unde nullus reip. ſtatus tam firmus & ſtabilis eſt, qui non breui funditus euertatur. Ideoq; ciuitatis ſuae urbem procul a mari lo-

cauit; ut illi peregrinos, atq; aduenas mercatores excipiendi omnis occasio tolleretur: quorũ a cupiditate profecta studia facile imbecilles hominũ mentes inficiunt. Quid igitur mirum est, si ciuitas nostra mamertina, quod omniũ nationũ et gẽtium multitudo propter opportunitatem portus in urbẽ undiq; confluat, diuersis moribus & studÿs dissipata nullo charitatis & amicitiae uinculo cõtinetur? sed auaritiae morbo indies grauius uehementiusq; afflictatur? Iacent bonae artes, nullusq; ingenuis et liberalibus doctrinis honos habetur: sed illud poëtae carmen semper usq; cantitatur,

O ciues ciues, quærẽda pecunia primũ est,
Virtus post nummos.

Quid enim pecuniae uirtutẽ anteponant, si (ut idem poëta loquitur.)

Et genus, & formam regina pecunia donat?

Verum obsecro, quid homine dignius? aut quid ad animi culturam accommodatius esse potest bonarum artium disciplinis, quae ex agresti ciuilem nobis uitam efficiunt? Reliqua sane bona, si corporis sunt, aut ægritudine uitiantur, aut senio conficiuntur; si sub imperium ditionemq; fortunae cadunt, nec satiare hominem possunt, cuius naturam non attingunt, nec in ullius possessione

diu

diu permanere ab hera sinuntur; quae inconstãs & instabilis nulla ratione, sed sola temeritate uersatur, & regitur. Rectae uero artes animum excolunt, mentẽ alunt, hominem a brutis animãtibus secernunt; nec auferri e nobis queunt, quæ nullius potestati, aut improbitati subijciuntur, sed nostro studio & labore cõparantur, semperq; nobiscum manent, & in secundis rebus ornamento, & in aduersis solatio. Itaq; uides Petre frater quantum patri nostro debeamus, qui nos bonis artibus instruendos a pueris curauit, uir non solum natura, sed etiam uoluntate bonus. Nam, ut ille idem Plato sentit, inter corruptos cupiditatibus homines uirtute præstare, hominis est non solum a natura recte instituti, sed etiam intelligentis & seligentis bonum. Quamobrẽ Deo immortali gratias semper ago, & habeo, quod tali patre ortus & educatus sim; qui religiosorum morum præceptis, & bonarum artium doctrinis filios instituit, ad ea studia quemq; appellens, ad quae natura aptum uideret. Ac te quidem ad iuris ciuilis scientiam cohortatus est; qua ciuitates prudẽter & legitime gubernantur: me uero, quod a iudiciorum strepitu abhorrentem, atq; ab omni negociatione alienum agnosceret, politiori doctrinae & humanitati excolendum tradidit. quẽ deinde philosophia, præsertim ea, quae bonarum malarumq; rerum cognitionem profitetur, exce-

pit, ac diuinarum rerum scientiae commendauit. In quibus profecto mirandũ, si ullum progressum fecerim, & priuatis negotijs sæpe præpeditus, & multis uarijsq; ægrotationibus assidue tentatus: ne frequentes nauigationes, & itinera commemorem; quae tum uisendi hominum mores & urbes, tum res gestas scribendi gratia feci: ut magis certe adhuc mirum uideatur, quomodo tot res, toto genere diuersas ullis monumentis literarum mandare potuerim. Quapropter aliorum studia iuuare nos conãtes minus reprehendere deberẽt, qui sapientes & literati uideri uolunt. Nam ut labores nostros cõtemnant, quod iniucundi & inutiles sint, at animum excusent, quoniam honesta causa ad scribendum adducimur. Te uero satis scio lubenter hos nostros libros perlecturum; ac pręcipue tertiam hanc disputationem, quae magna ex parte a patre nostro disputata est. cui demandatum fuerat eorum sentẽtias refellere, qui aut in fortunae, aut in corporis bonis felicitatem hominis posuissent. Constituto itaq; loco, in quem etiã pleriq; uiri nobiles ex urbe aduenerant, ubi omnes consederunt, magnum silentium obortum est: tacentibusq; cunctis, atq; ad audiendum paratis, F. Bernardinus Barbanus, qui summam in consessu illo authoritatẽ habebat, inquit. ¶ Nescio quomodo alienatus sensu uidetur Nicolaus noster. certe arbitror non ullo e

metu

metu hoc illi euenire, sed ex magnarum rerũ intima cogitatione. NIC. Ego quidem magnarum rerum cogitationẽ suscipere nõ possum, homo implicitus domesticis negotijs, ac filiorũ cura in diuersas partes distractus: sed consessu hoc uestro perterreor, ita ut demandatam prouinciam non recusasse iam me pœniteat. Nam tacentibus alijs unum dicere quam difficile & arduum sit magni oratores sensere. quanquam me in numero doctorum hominum haud quidem pono. Verum si excellentes eloquentia uiros pudor a dicendo deterruit, mihi nec literis perpolito, nec dicendi exercitatione exculto, uitio dari non debet, si in initio dictionis nata ex timore uerecũdia perfundor. BAR. Nullus inter nos esse debet ignominiæ metu pudori locus: in quibus utpote cultoribus Christi et imitatoribus nulla est inuidia atq; offensio. NIC. Hoc me unum profecto recreat, quod mihi in dicendo fauebitis; & bene dicentem amplectemini, & corrigetis errantem. BAR. Haud aliter fiet. Quare bono animo esto: & propositã tibi quæstionem explicare audenter incipe. NIC. Incipio. Totius nostrae disputationis hæc est summa, finem hominis ostendere, in quem omnia referamus: qua in re inquam summum bonum, seu felicitas sita sit. Et a nostro F. Barbano quae beatitudinis conditio atq; natura, quid etiam bonum sit, duabus externis disputationibus enuclea-

tum est: Mihi id munus incumbit, demonstrare neq; fortunae, neq; corporis bonis res expetendas terminari. Nam bonorum, quae ad hominem pertinent, triplex fuit facta diuisio, in animi, corporis, & fortunae. De bonis animi noster Merula post me aget. Dicam autem prius in uniuersũ de corporis, & fortunae bonis: tũ seorsum de singulis. Atq; horum bonorum naturã ad summi boni explicatam a nostro praeceptore conditionẽ reuocabo: & utranq; simul componens palam faciam, quanto interuallo a fine bonorum distent. Explicatum est autem primo, summum cuiusq; rei bonum esse cuiusq; in suo genere expletam absolutamq; perfectionem. Atqui bona fortunae naturam hominis ne attingunt quidem: ipsumq; nomen satis declarat ea non esse hominis propria bona, cum externa dicantur. Corporis uero bona optima non sunt. Nihil enim attinent ad uirtutem, qua animus excolitur; nec dignitate ceteris antecellunt, nimirum eam partem respicientia, quae in homine inferior atq; humilior est. Summum autem bonũ maxime laudabile & honorificum est. Quippe homo anima & corpore constat: atq; hoc cum brutis animantibus, illa cum diuinis mentibus similitudinẽ habet. Esset igitur hominis summum bonum cũ belluis commune, si corporis uoluptates beatã uitam complerent. Quin ipsae belluae hominibus

longe-

longe quam beatiores forent : quibus a natura uoluptates maiores ac copiosiores sine ullo suo cum labore omni tempore suppeditantur. Cur uero nos in bestiarum seruilem conditionem deijcimus, non potius in optimum angelorum statum attollimus? Ad hoc bona fortunae propter se non expetuntur; sed propter humanae uitae usus. Atqui summum bonum sui gratia expetitur, cum ultimum & extremum sit. Corporis quoq; bona ad animi functiones & munera referuntur: cui sensus uelut domino satellites atq; administri deseruiunt. Ni quis fortasse nos animo priuet aut uoluptarius, aut impius, omnis uirtutis et religionis expers. Præterea isthæc bona caduca, & incerta sunt, uel fortunae temeritati subiecta; a qua nomen obtinent; uel cuiuis casui et ægritudini obnoxia. summum autem bonum tale descriptum est, ut auferri, labefactariq; nulla temporis, aut fortunae iniuria possit. Cumq; possessores suos nequaquam bonos efficiant, tantum abest, ut in istis summi boni finem constituã, ut ne bona quidem esse existimem. Nã si bonos possessores suos efficerent, essent omnes diuites, nobiles, tyrãni, formosi, robusti, ac ualentes boni. Verum nemo, quia is esset, dictus est unquam bonus. Quid? quod impuriores ac scelestiores homines sæpe istis bonis magis abundant? Nullum autem bonũ potest cuiquam malo esse. Sed istis bonis affluentiũ

& uitam, & uitae exitum inspicite. quantis uidelicet curis in diuersas partes distrahantur, uigilijs noctes affligentur, dies laboribus exerceantur, iactentur diffidijs, uexentur odijs, excrucientur inuidijs, inflammentur cupiditatibus, &, quae tormenti uis maxima mihi esse uidetur, malefactorũ conscientia perpetuo sine ulla respiratione torqueantur; atq; ut postremo miserrimam mortem per summum dedecus et ignominiam occumbant. Ita ne isthæc bona beatos nos faciunt? Sed dicet fortasse aliquis, si in bonis ista nõ sunt, erũt ne in malis? Minime quidem. Nã et diuites plerosq;, & potentes bonos extitisse uidemus. Sunt enim bonis malisq; communia. Nec illorum natura reijcitur, sed usus aut reprehẽditur, aut probatur. Dicunturq; bona, quatenus sunt cum uirtute coniuncta, mala uero, quatenus uitijs deprauantur. Nec male iubent in laudatione dicendi prçceptores, ut ne quis ista per se laudet, aut uituperet, sed prout quisq; illis bene, aut male usus fuerit: nec esse uerã laudem ullam, nisi uirtutis; sine qua honeste laudari nulla res potest. Itaq; sapientissimorum hominum iudicio præstat ista cõmoda, quam bona appellari. Aduertant igitur qui aut corporis uoluptatibus sese dediderunt, aut fortunae (liceat uulgi more ita nominare) bona persequuntur, quantum expectationem suam decipiant, cum eorum adeptione beati non fiant.

Sed et summi boni naturã studiosius intueamur, ut istorum falsa opinio magis magisq; redarguatur. BAR. *Sane oratio tua nec ordine caret, nec neruis & ornamentis; & concidi recusat. Perge igitur tenere, quam ingressus es, uiam.* NIC. *Tres summi boni praecipuae conditiones a te, ni fallor, prima disputatione traditae sunt, quod perfectum, sufficiens, ac maxime expetẽdum sit. Etenim cui aliquid deest, perfectum non est. nam aliquid in eo requiritur. Quod autem summum, idem etiam perfectum est. nam si quid illi addatur, summum non erit, sed alio inferius; si quid uero dematur, imperfectum. Tum quod perfectum est, idem etiam potest suppeditare quae natura desiderat. Quare si in eo congesta sunt omnia, quae optari possunt, erit sane maxime expetendum. Ad hanc quasi trutinam bona corporis & fortunae examinanda si uocemus, cognoscemus profecto quantum a summi boni conditione & natura absint: quæ (ut in uniuersum hoc unum dicam) nunquam hominis animum explere possunt cœlestẽ & immortalem, sapientemq; diuina & æterna. Quinimmo sui maiorem sitim afferunt semper; aliena quippe sunt, generisq; diuersi; nec conquiescere in his animus potest, quibus non satiatur. Sed tamẽ quo res dilucidior fiat, singillatim fortunae, ac corporis bona perpendamus. Ac primae omnium diuitiae se nobis*

 obijciunt;

obijciunt: quibus obedire omnia (ut Eccles. inquit) stultus existimat. Diuitiae aut naturae sunt, aut hominum studio & arte inuentae. Sunt autem naturae, quas ad humanae uitae usus necessarios natura nobis subministrauit: quales sūt arua, syluae, segetes, uineae, armenta, greges, & quae ad uictū cultumq; corporis exiguntur. quāquam romani pecuniæ nomine diuitias omnes appellarunt: quorum facultates in pecudibus erāt. Ex quo patrimonia etiā peculia uocauerunt. Aurum uero, argentum, & æs hominis studium, & ars permutandarum rerum gratia inuenit. Nam cum apud ueteres primum res permutarentur, nō autem emerentur, atq; isthæc permutatio sæpe incommode & importune fieret, nummus ex auro, argento, & ære excogitatus est, qui rerum uenalium certa mensura esset, modusq; seruandae iustitiae, cui a permutandis rebus nomen est. Cuius generis diuitiae, quia illarum usus ad luxum libidinemq; traducitur, explere cupiditatē animi nequeunt. At naturales diuitiae, quia uitae necessitatibus certo modo sufficiunt, saturare appetitum hominis possunt. Sed qui obsecro fit, ut superuacaneis, nullūq; usum habentibus diuitijs magis, quam opportunis ac necessarijs beatos fieri nos existimemus? Haud equidem natura, quae in omnibus modum prudentissime seruat, diuitiarum tantam curam nobis ingenuit, sed uulgaris

opinio a prauo errore, & cupiditatis famulo sensu enata inseruit. An forte qui locupletior est, beatius uiuit? aut ampliores fortunae maiorē animi tranquillitatē & securitatē pariunt? Nū opulentior plura comedit, quam stomachus excipiat? uel pluribus se uestimentis induit, quam membra sustineant? Disrumperetur suamet copia, opprimereturq; . Quin hoc amplius ex suis opibus illi est, quod pluribus curis irretitur, nec secum est, nec secum (ut dici solet) uiuit. quoniam opus est ei, qui plura possidet, animum in plura distinere. Decet autē facultates nec profundere, ne prodigus habearis, nec tenacius restringere, ne auaritiae & improbitatis uitio noteris; sed cum omnibus pro cuiusq; dignitate moderata liberalitate uti. Iam quid labores in parandis opibus? quid curas in conseruandis, & in amittēdis diurnos ac nocturnos metus commemorem? Quarū insuper non æque iucunda est adeptio, quā molesta amissio: quae somnum aufert dulcem laborum quietem, atque unicum malorum perfugium. Taceo inuidiam, quae ex re familiari paratur; præsertim si indigne, atq; iniuste posſidetur. Nec dico pericula, quae uel ab inuidia, uel ab aliqua alia improbitate opulentioribus sæpe conflantur: quibus interdum inde malum est, unde salutē & felicitatem sperant: quemadmodum Eccles. inquit, Diuitiae interdum conseruantur in malum domini

sui.

ne arrogantius se gerant. Scienterq; Pindarus πλοῦτον, (quod nomen diuitias significat) μεγάφορον appellauit; quoniã homines superbos atq; animo inflatos reddit. Et quidem diuitis epulonis imago, quae ab euangelista Luca describitur, im probis hominibus diuitias intemperantiae ac luxuriae ministras esse nos docet. At uero auaritia est auiditas pecuniae rationi contraria: quã aut luxuries, aut praua opinio gignit. Quid uero me oportet in duaros inuehi, quos omnium uoces & literae detestantur? Primum Eccles. inquit Auaritia nihil esse scelestius: eamq; apostolus Paulus omnium malorum radicem uocat, atq; idolorum seruitutem; cum auari pecuniam colant, ut idola. Nec dignitatum iniquas uenditiones, nec iudiciorum corruptelas, nec rapinas, nec cædes, nec familiarum, nec rerump. euersiones dicam: quarũ causa, ut in seminibus stirpium, sic in auaritia existit. Acclamatq; merito Poëta,

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Exemplo esse potest non solum Lacedæmoniorum resp. quae optimis præceptis ac legibus instituta, auiditatis tamen uitio labefactata fuit; sed etiam Romanorum, qui omnibus gentibus ac nationibus imperarunt. Apud quos ut auaritiae morbus inualuit, æquitatem uincente pecunia, imperium

non modo imminutum, sed omnino deletum est. Nec inepte apud ueteres græcos dictitabatur, nõ Philippum, sed Philippi aurum greciam subuertiße. Omitto quod auarus semper est (ut ille Poëta loquitur) inter opes inops, tanquam Tantalus inter aquas sitiens. Semper enim eget, semper sitit. quia (ut ille alius Poëta ait)

Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquæ.

Etenim quia diuersi generis & naturae ab animo aurum est, cupiditatem hominis explere non potest. Beneq; Eccles. inquit, Auarus non implebitur pecunia. Ac Plato sapienter ei, qui diues eße uelit, consulit, ut imminuat, non accumulet opes. Nam qui modum cupiditati non statuit, semper est pauper. An erimus diuitiarum serui potius, quam poßeßores & domini?

Et mihi res, nõ me rebus submittere conor.
Quo mihi fortunæ, si non conceditur uti?

Est siquidem fructus aliquis honestus ex diuitiarum usu capiendus ad degendae uitae commoda & neceßitates: quem negotiosorum hominum labor impedit; auarorum cõaceruatio pecuniae aufert; uoluptariorum profusio corrumpit. atq; ut in carendo diuitijs magni animi patientia, sic in utẽdo recta prudẽtis uiri ratio cõmendatur. Velle autem diuitem fieri, hoc est, superuacuis &

non

ctionum suarum liberam potestatem habent, ut integrum sit illis hoc, uel illud sequi. Quod si uoluntatum, certe etiam consiliorum habent mutationem. Exemplo nobis est malorum dæmonũ mutatio: qui a diuino imperio desciscentes conditionem ex felici miserrimam obierunt. Quod uero beati (eos uoco beatos, qui diuino cõmercio fruuntur) rem ullam malam uelle amplius nequeant, diuini muneris hoc est, non ipsorum naturae. Quid charitatis intensio, quae in beatis etiam est, nonne uobis species quędam uidetur esse mutationis? Solus igitur Deus bonũ est immutabile, qui solus semper æternus et immutabilis est. Nec partitionem illam silentio prętermittam, quae bonum in uniuersale, et singulare distribuit. Facit enim cum dictis non parum. Nam singulare bonum est cuiusq; rei creatae sua propria & unica perfectio: uniuersale uero perfectiones omnes suo quasi gremio cõcludens, idem, quod summum, immutabile, simplex, natura, a se, nec aliunde productum bonũ est. Quare boni significatio, quia primum notat Dei perfectam & absolutam naturam, deinde ipsius operum uirtutes, a diuina & efficiente causa ad effectas naturas deducitur. Quæ uocum deriuatio a dialecticis analogia nuncupatur. Facit ad propositam nobis de summo bono thesim pręterea tū medium, et extremum boni diuisio. Vltimum est, ad quod cetera referuntur; quae uero ad ipsum

sum referuntur, media sunt: illud propter se, hoc extremi gratia optandum; illud iure bonum, hoc commodum apte uocaueris. Quin extremum bonum illud est, in cuius adeptione animus conquiescit; medium uero ad consequendum extremũ adhibetur: illud lætabile, hoc utile nominemus. Deus, qui principium est, idem est uniuersarum rerũ finis; atq; ut princeps causa in efficiendo, sic in mouendo finis maxime ualet: Ipse igitur extremum & summum bonum est: eoq; solo fruendum nobis est, reliquis uero rebus utendum. Quam rẽ animo quidam reputantes, & appetitus commotionẽ cum corporis motu inter se componẽtes, bonum in honestum, utile, & delectabile distribuerunt. Nã termino, in quem motus intenditur, honestũ; medio uero, per quod agitur corpus, utile; at quieti delectabile opposuerunt. Honestum interpretare non solum quod est (ut tradit Cicero) cum uirtute coniunctum. hoc enim modo solum quod humanae rationi cõsentaneum est intelligeretur, sed quicquid propter se expetitur: quod deinde adeptum delectationẽ affert. Quae porro bona quãdoq; re, quandoq; tantum ratione inter se discernuntur. Nam quod utile est, idem esse potest delectabile; & quod delectabile, honestum: non secus ac potio dulcis ad ualetudinem conferens utilis est, atq; suauis: uirtus etiam honesta, & iucunda. tamen, si sua quodq; ratione perpẽdamus,

haud

haud dubio diuersa extiterint. Nonnulli in honorificum, laudabile, & utile bonum diuiserunt: sed honorificum appellarunt id, quod sui gratia expetitur, quale est felicitas; laudabile uero, quod licet aliquam dignitatem honesti habeat, tamen ad aliud refertur, ut forma, pudor, solertia; at utile, quod tātum ad rem quampiam cōmodo alicui est, ut diuitiae. Alij duo boni genera designarunt, alterum perfecti, alterū etiā perficientis: uocantq; perfectum, quod habet naturae suae conuenientē modum; perficiens uero, quod alteri prodest: illud sui tantum rationem concernere, hoc etiā ad rē aliam respectum habere. Neque enim bonū semper relate opponitur. Quin sæpe quod perfectum est, aliorum perficiens est bonum. qualis inprimis Deus est sapiēs author & grādis opifex uniuersi, omnis boni fons & origo. Multæ etiā res pro suo quæq; genere huiusmodi sunt. Semper autē prius boni significatio ad id, quod perfectum est, deinde ad perficiens trahitur. Illa uero bonorum sectio in magna, media, minima, Deum excipit; cuius uirtus omnium comparationem uincit; duntaxat ea, quae a Deo generata sunt, meminit, habentia inditae bonitatis primos, secūdosue gradus: ac quo res quæq; magis naturae diuinae particeps fit, eo melior ac perfectior est. Declarat autem Augustinus minima bona ea esse, sine quibus recte uiui potest; qualia sunt bona corporis & fortunae:

magna

magna uero bona, quæ rectam uitam efficiũt; quo in genere sunt uirtutes, rationi inquam consentaneæ & constantes animi affectiones: at media bona, quibus bene ac male uti possumus; cuius generis sunt naturales animi uirtutes, quas nostrates philosophi potentias appellant. Illarum enim est ad uitia uirtutesue capessendas usus. NIC. Vnde obsecro tot boni diuisiones coëgisti? omnium eruditorum hominum libros euoluisse videris. BAR. Ipsamet notio boni diuidẽdi sui tot nobis uias aperuit. Nihilq; obstat, quo minus rem eandem multis modis pro diuersa ratione, quam eius ducimus, partiamur. Nunc quae ad hominem pertinẽt genera bonorum constituenda sunt; ut tandẽ extremum uideamus: quo nos omnes cogitationes atq; conatus intendere oporteat. Sunt autẽ omniũ consensu tria genera bonorũ Animi, Corporis, et Fortunæ. quãquã Cicero duo tãtũ genera primũ effecit, fortunæ, & naturae. Sed naturæ bona deinde in animi & corporis partitus nihil ab alijs dissensit. Fortunæ bona uocant, quæ extra nos sunt, ut patria, genus, opes, amici, honores, imperia, fama popularis, & quae his similia sunt. Verum plurali casu fortunae diuitias significant, & quam græci οὐσίαν, Quintilianus substantiam, Cicero facultates, iurisperiti bona ciuilia appellant: quae nimirum in ciuilis nostrae rei familiarem possessionem ueniũt. Nec quæro an sit ulla in uniuerso fortuna,

aut

aut quid sit . nihil enim hic mea . sed ueterũ usurpans uocabula fortunae bona appello, quae extra nos sunt , nec nostram naturam ulla ex parte attingunt . Quae quidem bona quia pro diuini numinis uoluntate ignota nobis & occulta mortalibus conferuntur, ideo illa temere interdum dari malis indignisue hominibus censentur . Quod utiq; non ita iudicaremus, si Dei mens et cõsiliũ a nobis teneretur . At bona corporis sunt ualetudo , uires, pernicitas uelocitas, sensuũ uis & integritas, forma, suauitas coloris , uenustas oculorũ , candor dentiũ, lenitudo uocis , mollitudo corporis : quęcunq; aut ualetudinẽ & integritatẽ , aut pulchritudinem & uenustatẽ corporis spectant. Verũ animi bona laudabiles animi qualitates sunt . Quorum quædam insita sunt a natura , quædam studio & exercitatione comparata ; ac quædam superiorem animi partem , quædam inferiorem perficiunt . siquidem animus in partes duas appetitũ & rationem distribuitur . Et naturae bona , quibus mens ornatur , sunt præcipue solertia, memoria, iudicium; quae etiam arte, & usu confirmantur: acquisita uero sunt doctrinae omnes, atq; scientiae . quarum tamen initia a natura ducũtur. Verecundia uero, cõtinentia, fidentia, affabilitas, benignitas , grauitas , & quae eiusdem generis sunt animi affectiones , tum laudabiles , quia uirtutem imitantur , tum naturales , quoniam a na-

tura inseruntur, sunt ad appetitum attinentia bona. ceterum fortitudo, temperantia, iustitia, & his annexae uirtutes rectae sunt appetitus affectiones studio et consuetudine a ratione & sapientia confirmatae. Ac sane affectiones omnes, hoc est, animi ad rem quampiam propensiones, uel à natura sint, uel studio habitae, mores a latinis, a græcis ἤθη uocantur. quarum omnium moderatrix est prudentia. Exposui uobis breuiter quot, et quae sint ad hominem conferentia genera bonorū. deinceps quærere oportebit, in quo beatam uitā constitutam esse uelimus: aut si finis in nullo horum ponendus sit, inuestigandum erit aliquod aliud extra nos, sed naturam nostram attingens bonum, quod nos beatos efficiat. At uero æquum non est omnem disputationis laborem a me sustineri: partem illius aliquam a uobis sumi decet. NIC. Et quid est hic operae, quam nos præstare possimus? BAR. Prima disputatione quæ esset beatitudo indicauimus, tum ubi esset inquirere instituimus: ac primum boni fontes et genera inuestigare cœpimus. Vobis id nunc agendum est, ut tu Nicolae bona corporis, et fortunæ perscruteris, aduertasq; an beatitudo in illis domicilium suum posuerit; tu Merula bona animi indages, obseruesq; an hominis felicitatem secum iunctam habeant. Quod operis perficiendum restabit, ipse conficiam. MER. Equidem

me ad tantum onus parem non ſentio. BAR. *Non eſt quod ueſtrum quiſquam prae pudore laborem iſtum recuſet. Nam inter nos nullum faſtidium, nulla inuidia eſt; & animi utilis remiſſio petitur. Itaq; ſine ulla recuſatione, ut dixi, res agetur.*



IO ANTONII VIPERANI DE SVMMO BONO LIB. III.



Neq; in fortunæ, neq; in corporis, neq; in animi bonis ſitam eſſe felicitatem.



ON immerito Petre frater ſapientiſſimus Plato ciues ſuos, quorum reip. formam admirabili deſcriptione depinxit, ullam cum peregrinis communionem uitae & ſocietatem habere uetuit; ne morum diſſimilitudo uoluntatum diſſenſiones inter eos pareret: unde nullus reip. ſtatus tam firmus & ſtabilis eſt, qui non breui funditus euertatur. Ideoq; ciuitatis ſuae urbem procul a mari locauit

cauit; ut illi peregrinos, atq; aduenas mercatores excipiendi omnis occasio tolleretur: quorũ a cupiditate profecta studia facile imbecilles hominũ mentes inficiunt. Quid igitur mirum est, si ciuitas nostra mamertina, quod omniũ nationũ et gẽtium multitudo propter opportunitatem portus in urbẽ undiq; confluat, diuersis moribus & studijs dissipata nullo charitatis & amicitiae uinculo cõtinetur? sed auaritiae morbo indies grauius uehementiusq; afflictatur? Iacent bonae artes, nullusq; ingenuis et liberalibus doctrinis honos habetur: sed illud poëtae carmen semper usq; cantitatur,

O ciues ciues, quærẽda pecunia primũ est,
Virtus post nummos.

Quid enim pecuniae uirtutẽ anteponant, si (ut idem poëta loquitur.)

Et genus, & formam regina pecunia donat?

Verum obsecro, quid homine dignius? aut quid ad animi culturam accommodatius esse potest bonarum artium disciplinis, quae ex agresti ciuilem nobis uitam efficiunt? Reliqua sane bona, si corporis sunt, aut ægritudine uitiantur, aut senio conficiuntur; si sub imperium ditionemq; fortunae cadunt, nec satiare hominem possunt, cuius naturam non attingunt, nec in ullius possessione

diu permanere ab hera sinuntur; quae inconstãs & instabilis nulla ratione, sed sola temeritate uersatur, & regitur. Rectae uero artes animum excolunt, mentẽ alunt, hominem a brutis animãtibus secernunt; nec auferri e nobis queunt, quæ nullius potestati, aut improbitati subijciuntur, sed nostro studio & labore cõparantur, semperq; nobiscum manent, & in secundis rebus ornamento, & in aduersis solatio. Itaq; uides Petre frater quantum patri nostro debeamus, qui nos bonis artibus instruendos a pueris curauit, uir non solum natura, sed etiam uoluntate bonus. Nam, ut ille idem Plato sentit, inter corruptos cupiditatibus homines uirtute præstare, hominis est non solum a natura recte instituti, sed etiam intelligentis & seligentis bonum. Quamobrẽ Deo immortali gratias semper ago, & habeo, quod tali patre ortus & educatus sim; qui religiosorum morum præceptis, & bonarum artium doctrinis filios instituit, ad ea studia quemq; appellens, ad quae natura aptum uideret. Ac te quidem ad iuris ciuilis scientiam cohortatus est; qua ciuitates prudẽter & legitime gubernantur: me uero, quod a iudiciorum strepitu abhorrentem, atq; ab omni negociatione alienum agnosceret, politiori doctrinae & humanitati excolendum tradidit. quẽ deinde philosophia, præsertim ea, quae bonarum malarumq; rerum cognitionem profitetur, exce-

pit, ac diuinarum rerum scientiae commendauit. In quibus profecto mirandū, si ullum progreßum fecerim, & priuatis negotijs sæpe præpeditus, & multis uarijsq; ægrotationibus assidue tentatus: ne frequentes nauigationes, & itinera commemorem; quae tum uisendi hominum mores & urbes, tum res gestas scribendi gratia feci: ut magis certe adhuc mirum uideatur, quomodo tot res, toto genere diuersas ullis monumentis literarum mandare potuerim. Quapropter aliorum studia iuuare nos conātes minus reprehendere deberēt, qui sapientes & literati uideri uolunt. Nam ut labores nostros cōtemnant, quod iniucundi & inutiles sint, at animum excusent, quoniam honesta causa ad scribendum adducimur. Te uero satis scio lubenter hos nostros libros perlecturum; ac precipue tertiam hanc disputationem, quae magna ex parte a patre nostro disputata est. cui demandatum fuerat eorum sentētias refellere, qui aut in fortunae, aut in corporis bonis felicitatem hominis posuissent. Constituto itaq; loco, in quem etiā pleriq; uiri nobiles ex urbe aduenerant, ubi omnes consederunt, magnum silentium obortum est: tacentibusq; cunctis, atq; ad audiendum paratis, F. Bernardinus Barbanus, qui summam in conseßu illo authoritatē habebat, inquit. ¶ Nescio quomodo alienatus sensu uidetur Nicolaus noster. certe arbitror non ullo e

metu

metu hoc illi euenire, sed ex magnarum rerũ intima cogitatione. NIC. Ego quidem magnarum rerum cogitationẽ suscipere nõ possum, homo implicitus domesticis negotijs, ac filiorũ cura in diuersas partes distractus: sed consessu hoc uestro perterreor, ita ut demandatam prouinciam non recusasse iam me pœniteat. Nam tacentibus alijs unum dicere quam difficile & arduum sit magni oratores sensere. quanquam me in numero doctorum hominum haud quidem pono. Verum si excellentes eloquentia uiros pudor a dicendo deterruit, mihi nec literis perpolito, nec dicendi exercitatione exculto, uitio dari non debet, si in initio dictionis nata ex timore uerecũdia perfundor. BAR. Nullus inter nos esse debet ignominiæ metu pudori locus: in quibus utpote cultoribus Christi et imitatoribus nulla est inuidia atq; offensio. NIC. Hoc me unum profecto recreat, quod mihi in dicendo fauebitis; & bene dicentem amplectemini, & corrigetis errantem. BAR. Haud aliter fiet. Quare bono animo esto: & propositã tibi quæstionem explicare audenter incipe. NIC. Incipio. Totius nostrae disputationis hæc est summa, finem hominis ostendere, in quem omnia referamus: qua in re inquam summum bonum, seu felicitas sita sit. Et a nostro F. Barbano quae beatitudinis conditio atq; natura, quid etiam bonum sit, duabus externis disputationibus enuclea-

tum est: Mihi id munus incumbit, demonstrare neq; fortunae, neq; corporis bonis res expetendas terminari. Nam bonorum, quae ad hominem pertinent, triplex fuit facta diuisio, in animi, corporis, & fortunae. De bonis animi noster Merula post me aget. Dicam autem prius in uniuersũ de corporis, & fortunae bonis: tũ seorsum de singulis. Atq; horum bonorum naturã ad summi boni explicatam a nostro praeceptore conditionẽ reuocabo: & utranq; simul componens palam faciam, quanto interuallo a fine bonorum distent. Explicatum est autem primo, summum cuiusq; rei bonum esse cuiusq; in suo genere expletam absolutamq; perfectionem. Atqui bona fortunae naturam hominis ne attingunt quidem: ipsumq; nomen satis declarat ea non esse hominis propria bona, cum externa dicantur. Corporis uero bona optima non sunt. Nihil enim attinent ad uirtutem, qua animus excolitur; nec dignitate ceteris antecellunt; nimirum eam partem respicientia, quae in homine inferior atq; humilior est. Summum autem bonũ maxime laudabile & honorificum est. Quippe homo anima & corpore constat: atq; hoc cum brutis animantibus, illa cum diuinis mentibus similitudinẽ habet. Esset igitur hominis summum bonum cũ belluis commune, si corporis uoluptates beatã uitam complerent. Quin ipsae belluae hominibus

longe-

longequam beatiores forent: quibus a natura uoluptates maiores ac copiosiores sine ullo suo cum labore omni tempore suppeditantur. Cur uero nos in bestiarum seruilem conditionem deijcimus, non potius in optimum angelorum statum attollimus? Ad hoc bona fortunae propter se non expetuntur; sed propter humanae uitae usus. Atqui summum bonum sui gratia expetitur, cum ultimum & extremum sit. Corporis quoq; bona ad animi functiones & munera referuntur: cui sensus uelut domino satellites atq; administri deseruiunt. Ni quis fortasse nos animo priuet aut uoluptarius, aut impius, omnis uirtutis et religionis expers. Praeterea isthaec bona caduca, & incerta sunt, uel fortunae temeritati subiecta; a qua nomen obtinent; uel cuiuis casui et aegritudini obnoxia. summum autem bonum tale descriptum est, ut auferri, labefactariq; nulla temporis, aut fortunae iniuria possit. Cumq; possessores suos nequaquam bonos efficiant, tantum abest, ut in istis summi boni finem constituã, ut ne bona quidem esse existimem. Nã si bonos possessores suos efficerent, essent omnes diuites, nobiles, tyrãni, formosi, robusti, ac ualentes boni. Verum nemo, quia is esset, dictus est unquam bonus. Quid? quod impuriores ac scelestiores homines saepe istis bonis magis abundant? Nullum autem bonũ potest cuiquam malo esse. Sed istis bonis affluentiũ

& uitam, & uitae exitum inspicite. quantis uidelicet curis in diuersas partes distrahantur, uigilijs noctes affligentur, dies laboribus exerceantur, iactentur diffidijs, uexentur odijs, excrucientur inuidijs, inflammentur cupiditatibus, &, quae tormenti uis maxima mihi esse uidetur, malefactorũ conscientia perpetuo sine ulla respiratione torqueantur; atq; ut postremo miserrimam mortem per summum dedecus et ignominiam occumbant. Ita ne isthæc bona beatos nos faciunt? Sed dicet fortasse aliquis, si in bonis ista nõ sunt, erũt ne in malis? Minime quidem. Nã et diuites plerosq;, & potentes bonos extitisse uidemus. Sunt enim bonis malisq; communia. Nec illorum natura reijcitur, sed usus aut reprehẽditur, aut probatur. Dicunturq; bona, quatenus sunt cum uirtute coniuncta, mala uero, quatenus uitijs deprauantur. Nec male iubent in laudatione dicendi pręceptores, ut ne quis ista per se laudet, aut uituperet, sed prout quisq; illis bene, aut male usus fuerit: nec esse uerã laudem ullam, nisi uirtutis; sine qua honeste laudari nulla res potest. Itaq; sapientissimorum hominum iudicio præstat ista cõmoda, quam bona appellari. Aduertant igitur qui aut corporis uoluptatibus sese dediderunt, aut fortunae (liceat uulgi more ita nominare) bona persequuntur, quantum expectationem suam decipiant, cum eorum adeptione beati non fiant.

Sed

Sed et summi boni naturã studiosius intueamur, ut istorum falsa opinio magis magisq; redarguatur. BAR. *Sane oratio tua nec ordine caret, nec neruis & ornamentis; & concidi recusat. Perge igitur tenere, quam ingressus es, uiam.* NIC. *Tres summi boni præcipuae conditiones a te, ni fallor, prima disputatione traditae sunt, quod perfectum, sufficiens, ac maxime expetẽdum sit. Etenim cui aliquid deest, perfectum non est. nam aliquid in eo requiritur. Quod autem summum, idem etiam perfectum est. nam si quid illi addatur, summum non erit, sed alio inferius; si quid uero dematur, imperfectum. Tum quod perfectum est, idem etiam potest suppeditare quae natura desiderat. Quare si in eo congesta sunt omnia, quae optari possunt, erit sane maxime expetendum. Ad hanc quasi trutinam bona corporis & fortunae examinanda si uocemus, cognoscemus profecto quantum a summi boni conditione & natura absint: quæ (ut in uniuersum hoc unum dicam) nunquam hominis animum explere possunt cœlestẽ & immortalem, sapientemq; diuina & æterna. Quinimmo sui maiorem sitim afferunt semper; aliena quippe sunt, generisq; diuersi; nec conquiescere in his animus potest, quibus non satiatur. Sed tamẽ quo res dilucidior fiat, singillatim fortunae, ac corporis bona perpendamus. Ac primae omnium diuitiae se nobis*

obijciunt : quibus obedire omnia (ut Eccles. inquit) stultus existimat. Diuitiae aut naturae sunt, aut hominum studio & arte inuentae. Sunt autem naturae, quas ad humanae uitae usus necessarios natura nobis subministrauit : quales sũt arua, syluae, segetes, uineae, armenta, greges, & quae ad uictũ cultumq; corporis exiguntur. quãquam romani pecuniæ nomine diuitias omnes appellarunt: quorum facultates in pecudibus erãt. Ex quo patrimonia etiã peculia uocauerunt. Aurum uero, argentum, & æs hominis studium, & ars permutandarum rerum gratia inuenit. Nam cum apud ueteres primum res permutarentur, nõ autem emerentur, atq; isthæc permutatio sæpe incommode & importune fieret, nummus ex auro, argento, & ære excogitatus est, qui rerum uenalium certa mensura esset, modusq; seruandae iustitiae, cui a permutandis rebus nomen est. Cuius generis diuitiae, quia illarum usus ad luxum libidinemq; traducitur, explere cupiditatẽ animi nequeunt. At naturales diuitiae, quia uitae necessitatibus certo modo sufficiunt, saturare appetitum hominis poßunt. Sed qui obsecro fit, ut superuacaneis, nullũq; usum habentibus diuitijs magis, quam opportunis ac neceßarijs beatos fieri nos existimemus? Haud equidem natura, quae in omnibus modum prudentissime seruat, diuitiarum tantam curam nobis ingenuit, sed uulgaris

opinio

opinio a prauo errore, & cupiditatis famulo sensu enata inseruit. An forte qui locupletior est, beatius uiuit? aut ampliores fortunae maiorẽ animi tranquillitatẽ & securitatẽ pariunt? Nũ opulentior plura comedit, quam stomachus excipiat? uel pluribus se uestimentis induit, quam membra sustineant? Disrumperetur suamet copia, opprimereturq; Quin hoc amplius ex suis opibus illi est, quod pluribus curis irretitur, nec secum est, nec secum (ut dici solet) uiuit. quoniam opus est ei, qui plura possidet, animum in plura distinere. Decet autẽ facultates nec profundere, ne prodigus habearis, nec tenacius restringere, ne auaritiae & improbitatis uitio noteris; sed cum omnibus pro cuiusq; dignitate moderata liberalitate uti. Iam quid labores in parandis opibus? quid curas in conseruandis, & in amittẽdis diurnos ac nocturnos metus commemorem? Quarũ insuper non æque iucunda est adeptio, quã molesta amissio: quae somnum aufert dulcem laborum quietem, atque unicum malorum perfugium. Taceo inuidiam, quae ex re familiari paratur; præsertim si indigne, atq; iniuste possidetur. Nec dico pericula, quae uel ab inuidia, uel ab aliqua alia improbitate opulentioribus sæpe conflantur: quibus interdum inde malum est, unde salutẽ & felicitatem sperant: quemadmodum Eccles. inquit, Diuitiae interdum conseruantur in malum domini

sui,

ſui. Nõ nõ eſt ocioſa & quieta, ſed magno labore & contentione animi et corporis traducitur uita, quae pecuniae uias perſequitur. Nec tamen omnem curam diuitiarum ab eo negligi uolo, cui domus & familia gubernãda eſt. Debet enim ex aſſignato ſibi a Deo munere non tantum ſuae, ſed aliorum etiam uitae neceſſitatibus inſeruire. Sed ſtatuendus eſt animo, & induſtriae modus, ut ne quid inique, ne quid immoderate agatur. Immoderationem moleſtia, improbitatem pœna conſequitur. Sapienterq; aiebat Solon, Pecuniam habere deſidero; ſed quidquam facere eius gratia contra ius fasq; nolim. Eſt autẽ uiri probi nec inertiae ſe dedere, nec rerum copiam affectare, ſolum res uitae neceſſarias quęrere. Opulentia egeſtasq; ſimul fugienda. Quarum utranq; abhorrebat, qui Deum obſecrabat, ne paupertatẽ & diuitias ſibi daret. Mediocritas optima uitae regula eſt. Quanquam uos, qui arctiori uinculo religionis uos obſtrinxiſtis, ab omni domeſticae rei cura uos liberaſtis, ut iter ad perfectionẽ ſanctitatis chriſtianae quãexpeditiſſimũ uobis facere tis. Mihi uero, cui ſeptẽ liberi ſunt, rei familiari cura adhibenda eſt, ut pro dignitate familiae honeſte uiuamus. Nec me quisquam incuſarit, quod patrios cenſus ullo meo uitio extenuauerim: etſi non admodum illos auxi. Qui tamen ſatis ad degendam liberaliter uitã pro agnationis

condi-

conditione meis liberis fuerint, si boni extiterint, sin mali, ne triplo quidem maiores suffecerint. Semper enim illud Catonis dictum amaui, Laudabilius esse superuacaneis rebus non indigere, quã multam & inutilem supellectilem possidere. Ideq; uir prudens aiebat, non uiri, sed uiduae mulieris esse extenuatas facultates relinquere. Quare modus quidam in parandis, conseruandisq; diuitijs habendus, ne aut egeas, aut abundes: illud inertiae, hoc cupiditatis est signum. Quinetiã pater uniuersorũ Deus, qui uel paßeres minimasq; auiculas pascit, nedum hominum uitae prouidet, qui passeribus multo pluris sunt, studiosis ac pijs uiris quadam cum mensura diuitias tribuit; uidelicet quantae ad usus uitae necessarios sufficiant: ne si ampliores adsint, aut humani animi uires copia & luxu molliantur, aut terrenarũ & superuacanearum rerum curis plus nimio implicentur: qui dies noctesq; cœlestem sui originem contemplari debent, reditumq; ad patriam uirtutis sanctis castisq; actionibus munire. Ceterũ bonis uiris (ut D. Ambrosius sentit) opes sunt adiumẽta ad uirtutem, qui illis recte utantur; malis uero impedimenta, qui abutantur. Nam aut insolenter sese efferunt, aut uoluptatibus corporis capiuntur, aut pecuniae auiditate inflammantur. Quamobrẽ apostolus Paulus ad Timotheum scribit, ut diuites moneat, ne sublime sapiãt, hoc est,

ne arrogantius se gerant. Scienterq; Pindarus πλοῦτον, *(quod nomen diuitias significat)* μεγάνορα *appellauit; quoniã homines superbos atq; animo inflatos reddit. Et quidem diuitis epulonis imago, quae ab euangelista Luca describitur, im probis hominibus diuitias intemperantiae ac luxuriae ministras esse nos docet. At uero auaritia est auiditas pecuniae rationi contraria: quã aut luxuries, aut praua opinio gignit. Quid uero me oportet in duaros inuehi, quos omnium uoces & literae detestantur? Primum Eccles. inquit Auaritia nihil esse scelestius: eamq; apostolus Paulus omnium malorum radicem uocat, atq; idolorum seruitutem; cum auari pecuniam colant, ut idola. Nec dignitatum iniquas uenditiones, nec iudiciorum corruptelas, nec rapinas, nec cædes, nec familiarum, nec rerump. euersiones dicam: quarũ causa, ut in seminibus stirpium, sic in auaritia existit. Acclamatq; merito Poëta,*

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Exemplo esse potest non solum Lacedæmoniorum resp. quae optimis præceptis ac legibus instituta, auiditatis tamen uitio labefactata fuit; sed etiam Romanorum, qui omnibus gentibus ac nationibus imperarunt. Apud quos ut auaritiae morbus inualuit, æquitatem uincente pecunia, imperium

non

non modo imminutum, sed omnino deletum est. Nec inepte apud ueteres græcos dictitabatur, nõ Philippum, sed Philippi aurum greciam subuertiße. Omitto quod auarus semper est (ut ille Poëta loquitur) inter opes inops, tanquam Tantalus inter aquas sitiens. Semper enim eget, semper sitit. quia (ut ille alius Poëta ait)

Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquæ.

Etenim quia diuersi generis & naturae ab animo aurum est, cupiditatem hominis explere non potest. Beneq; Eccles. inquit, Auarus non implebitur pecunia. Ac Plato sapienter ei, qui diues eße uelit, consulit, ut imminuat, non accumulet opes. Nam qui modum cupiditati non statuit, semper est pauper. An erimus diuitiarum serui potius, quam poßeßores & domini?

Et mihi res, nõ me rebus submittere conor.
Quo mihi fortunæ, si non conceditur uti?

Est siquidem fructus aliquis honestus ex diuitiarum usu capiendus ad degendae uitae commoda & necessitates: quem negotiosorum hominum labor impedit; auarorum cõaceruatio pecuniae aufert; uoluptariorum profusio corrumpit. atq; ut in carendo diuitijs magni animi patientia, sic in utẽdo recta prudẽtis uiri ratio cõmendatur. Velle autem diuitem fieri, hoc est, superuacuis &

non

non necessarijs diuitijs abundare, ualde periculosa res est. Est enim (ut apostolus Paulus refert) in diaboli tentationes incidere. quoniam uirtutis actiones deserat necesse est, qui pecuniam impensius quęrit; & ab iniquitate longius nō abest, qui omnia rapere ad se studet. Aut quid aliud est tāto animi affectu pecuniā amplecti, quā in pecunia finem sibi cōstituere? Quod ne a nobis fiat, Propheta suadet inquiens, Diuitiae si affluant, nolite cor apponere. Certe in diuitijs sperare hominis est de salute christiana desperati. Quapropter Christus tradit, difficilius eße diuitem intrare in regnū cælorum, quam camelum in foramen acus: & Paulus nos admonet, ut in incerto diuitiarum ne speremus. Nam præterquā quod in summo genere bonorum non sunt, sunt etiam uanae, & in temeritate fortunae atq; inconstantia positae. Iusteq; nobis Christus pręcipit, ne thesaurizemus nobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur; sed thesaurizemus nobis thesauros in cælo, ubi neq; ærugo, neq; tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Num uero his rebus adijciā exempla eorum, qui uirtutis studio diuitias contempserunt? Anacharsis philosophus pro nihilo pecuniam duxit. Socrates paucis cōtentus uixit. Xenocrates talenta ab Alexandro missa respuit. Diogenes Persarū rege beatiorē se esse putauit;

quod

quod sibi nihil deesset, illi nihil unquā satis esset. M.Curius Samnitum aurum despexit. Atq; ita ego persequor aliena, quasi minus habeam domestica. dico christiana. Omnes enim in una eademq; Dei domo uno eodemq; religionis uinculo constricti uiuimus. Apostoli religionis nostræ prima & clarissima lumina omnia reliquerunt, ut Christum sequerentur: immo eorum numerus infinitus est, qui totas facultates suas ob studiū religionis pauperibus erogarunt. Sed maior certe laus nostris debetur; qui solum uerae pietatis rationem habuerunt, non, ut ethnici, popularem auram aucupati sunt. Atq; illi suis diuitijs nulli profuere, nostri egestates egentissimorum hominum subleuarunt. Id quod euāgelista Ioannes philosopho cuidam gēmas frustra confringenti obiecit. Sed de diuitijs satis multa egi, ac forte etiam pluribus, quam disputationis ratio postulaßet. Verum patens adeo ad dicendum campus me longius produxit. Vt igitur concludā quod propositum est, diuitiae in summo bono non sunt, tum quia magno labore acquiruntur, & acri cura conseruantur; tum quia incertae, fluxae, & caducae sunt, temporum iniquitatibus subiectae, nec in sapientis potestate positae, sed in fortunae temeritate; tum quia non propter se, sed propter humanae uitae usus neceßarios expetuntur. Quæ prætereà ne sitias, ne esurias, ne calorum frigorumq;

gorumq;

gorumq; molestias sentias, pręstare tibi non possunt: nec tranquilliorem uitam, nec meliorem possessorem efficiunt. Postremo (ut Boëtius ait) melius in effundendo, quam in coaceruando nitent. Siquidem auaritia odiosos; claros facit largitas. BAR. *Tua nos oratio & copia rerum, & uarietate sententiarum mirifice delectauit: eodemq; a te modo reliqua pertractari cupimus.* NIC. *Gaudeo placere tibi, cuius ingenio maxime delector, orationem meam: nitarq; pro me reliqua ita peragere, ut aliorum uoluntati satis faciam.* BER. *Facies porro satis.* NIC. *Post diuitias agendum mihi uidetur de nobilitate. Nõ enim solum diuites, sed etiam nobiles uulgo beati nuncupantur. Quod in illo Horatij carmine literati uiri notarunt,*

Nescias an te generum beati
Phyllidis flauae decorent parentes.

Ac pleriq; de nobilitate ita gloriãtur, ut reliquas res omnes inferiores existiment. Sed quid ipsa sit uolo inprimis exprimere, ut tota res planius intelligatur. BAR. *Agis ut ego uolo, & res: quæ delectationis habet non parum.* NIC. *Voco autem, (ne quis in hoc hæreat) nobilem, eum, quem græci εὐγένεα uocant, hoc est, ex antiqua, bona, ac clara stirpe procreatum. Nam latinum nomen non solum genere clarum, sed cuiusuis rei*

præstantiã

præstantia insignẽ quoq; significat. Siquidẽ et rhetores,& philosophi,& excellentes citharœdi nobiles appellantur. Parit enim laudem artis perfectio: laus uero clarat & illustrat, quem afficit. Enimuero ab uno parẽte omnes originẽ trahimus: ex quo(ut in apostolorũ actis legitur) Deus uniuersum genus hominum fecit. Adam parens iste est: cuius ratione mortales omnes æque nobiles sunt. Quare Boëtius inquit,

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu.

Sed in multas deinde uariasq; familias diuisi sumus. Quarũ authores prout clari obscuriue fuerunt,sic ab illis orti nobiles ignobilesue dicti sunt. Reddit autem hominem conspicuum inprimis uirtus: qua non solum brutis animantibus, sed ipsis etiam hominibus prçstamus. Verũ ea uirtus præcipue nos alijs commendat, quae hominum societatem & communionem tuetur: ut ciuilis prudentia, qua ciuitas recto iure,commodeq; gubernatur; & bellica fortitudo, quae ciues ab incursionibus & iniurijs hostiũ defendit. Bonæ quoq; artes & doctrinae nõ in infimo prædicationis gradu sunt: quibus hominis animus & uita sic excolitur, ut maiorem in modum a uictu & cultu distet bestiarum. Ad hæc diuitiae hominem illustrãt non solum propter magnificos apparatus,sed quia

solent notae quędam esse uirtutis. Omnis enim uera laus a uirtute proficiscitur. Qui igitur familiā decorare primus omnium incipit, is cognationis suae nobilitatis est author. Apud Romanos familiae nobilitatis initium dabat senator: Iidemq; nouum hominem uocabant eum, a quo gentis alicuius nobilitas principiū duceret: quo modo a Salustio iniuriae causa M. Cicero appellatus est: Ac certe magis e patre, quam e matre principiū nobilitatis est; quod maior in mare, quam in fœmina generandi uis insit: ne illorum sententiam referam, qui fœminam ad generandum nihil præter conceptum afferre existimant: sed quo uterq; modo ad procreandum, sic etiam ad nobilitandū eos, quos gignunt, mea sententia conuenit. Quāquam apud Galliae quosdam populos a matre potius nobilitatis initium capitur, forte ob clarorū hominum raritatem. Nec per se quidem unus ualet illustrem cognationem efficere; sed natorum a se, nepotumq; uirtutibus conseruandus etiā est in familia dignitatis splendor, quoad prosapia cūctis clara & perspicua fiat: donec, inquā, uelut æs æruginem amittat. Attamen ut uirtutes & egregie facta agnationem decorant, sic etiam inquinant uitia atq; flagitia.

Vtcunq; defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Nobilitas

Nobilitas ergo nobis est generis claritas: et qui ex claris parentibus oritur, nobilis latine uocatur, græce εὐγενής, hoc est, bene natus. Valet præterea non parum ad nobilitatem celebritas patriae: a qua etiam genus ducitur. quippe locus procreationis partem aliquam sibi uendicat. Nec aliter patria, ac familia uirorum illustrium uirtutibus clarisq; facinoribus nobilitatur. Vnde Serapioni cuidam Themistocles ignobilitatem patriae obiecit. Quare cuius patria & parentes clari non sunt, quantauis licet uirtute excellat, nobilis, εὐγενής inquam recte dici non potest. At uero generosus dicitur is, qui elato animo est, nec a maiorum suorum preclaris uirtutibus quicquam degenerat. Fert autem uitium naturae, aut deprauatae uoluntatis, ut quis nobili genere natus sordide ac turpiter uiuat, gerens demissam, & angustam mentem. Nunc uidendum est quid habeat nobilitas boni. Habet autem id boni, quod fere apud omnes gentes & nationes in honore habetur: quoniā in omnium opinione positum est, et probabile fit, ex bonis parētibus bonos filios procreari: sicut ille inquit Poeta,

Fortes creantur fortibus:

Ideoq; nobiles ceteris opinione uirtutis anteponuntur. In sacris etiam libris pleriq; a generis nobilitate laudantur. & IESVS CHRISTVS

Deus, ac Dominus noster ex MARIA *nasci uoluit; cuius ortus ad regalem progeniē refertur; uel quia nobilitas uirtutis testimonium est, uel ut debitam sibi regiam potestatem ostenderet. Proinde nobilitatis conditio hanc muneris necessitatē affert, nihil ut a ueteri maiorum uirtute deflectamus. Quod Boëtius nō paruae eruditionis uir his uerbis testatur. Si quod est in nobilitate bonum, id inesse arbitror, solum ut imposita nobilibus necessitudo uideatur, ut ne a maiorum uirtute degenerent. Quamobrem maiore uituperatione dignus censetur nobilis, si se uitijs inquinarit, quā ignobilis. Tamen uir generosus parentum exemplis ad recte facta magis accenditur: ut Publium Scipionem maiorum suorum imaginibus ad gloriam ualde excitari solitum accepimus. Et apud Virgilium quam pulchre Aeneas filium ad paternae uirtutis aemulationem hortatur?*

Disce puer uirtutē ex me, uerumq; laborē,
Tu facito, mox cū matura adoleuerit ætas,
Sis memor; & te aio repetētē exempla tuorū
Et pr̄ Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Ergo uirtus nobilitati praeferenda, quia eius effectrix est: tum quia uirtus in nostrorum bonorum possessione est, nobilitas ad alios pertinet. Est enim parentum bonū: sicut recte Seneca in Tragoedia, cui nomen Hercules;

Qui

Qui genus iactat suum, aliena laudat.

Et apud Ouidium contra Aiacem Vlysses,

Nã genus & proauos, & q̃ nõ fecimus ipsi,
Vix ea nostra uoco.

Quare si inanis est nobilitatis apud alios cõmendatio, ni nos etiam uirtus ipsa commendet, leuis hominis est atq; insipientis de tam paruo & alieno bono gloriari, nedum illud in bonorum extremo ducere. Quia exposui quid de nobilitate sentirem, quid etiam de dignitate, honore, & gloria sentiam explicabo: quae satis inter se coniuncta sunt. BAR. *Probo.* NIC. *Expetuntur autem istæ maxime ab his, qui excellentibus ingenijs præditi sunt. Verum quæ sit cuiusq; natura primũ exponam more meo, ut cetera: tum quid laudandũ, quid contra reprehendendum ostendam.* BAR. *Approbo.* NIC. *Est igitur dignitas personae cõditio cultu & honore digna, ἀπὸ τοῦ δείκνυσθαι (ut quidam uolunt) dicta, quod est monstrari. Quam in rem facit quod Satyricus poëta inquit,*

Quam pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

Honor uero est reuerentia, qua quis obseruatur et colitur, utpote uel ætate, uel uirtute, uel dignitate antecellens. At gloria a Cicerone laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de ex-

cellenti uirtute; a D. Ambrosio finitur, clara cũ laude notitia, quasi Claria duabus literis immutatis. Quae omnia uirtutis excellentiae nituntur. Itaq; dignitas præstantem uitae statũ dicit, honor uenerationem, gloria factorum laudem. quae quidem uoce & fama continetur, sicut re & gestu honor. Ac quo quisq; altiori animo est, eo magis ista bona, quam diuitias consectatur: quoniã maiorem habent benestatis formam & similitudinem. Idcirco bona fama diuitijs prestat. Confirmatq; hoc ipsum Salomon; Melius est inquiens nomen bonum, quam diuitiae multae. Ac quid obsecro melius ad incolumitatem uitae & honestatem optare quisquam potest, quam bonam uirtutis & integritatis apud suos opinionem? Contingit autem plerũq; diuitiarum possessores auaros & iniquos esse; at nemo nisi ob recte & egregie facta laudatur. Sed & diuitiae ad parandam gloriam per se ipsae parum ualent, uirtutis uero fama ad cõsequendas opes plurimũ sępe confert. Et meo quidem iudicio parentes maiorem & meliorem liberis hæreditatem nullam relinquerent, quam uirtutum suarum nomen & pręd icationem. Quod autem isthæc bona uitam beatam homini nõ pręstent, duabus maxime rationibus probari potest; altera, quod ex aliorum opinione & existimatione pendent; ut, quoniam in aliena potestate sint, amitti facile possint: altera, quod uirtutis osten-

ostendendae causa queruntur; ut uirtute inferiora sint. Atqui summum bonum propter se expetitur, & ad nostram facultatem, nostrorumq; bonorum possessionem spectat. Nec uero cum dicitur honorem in eo esse, qui afficit, non in eo, qui afficitur, ita dicitur; quasi non prestet honorari, quam honorare; sed ut intelligas honore a summi boni natura & conditione abesse, quoniam in aliena manu positus est. Nec inficior homini a natura innatum esse studium dignitatis & honoris; nam præstare quisq; ceteris studet, & artes eæ inprimis coluntur apud quosq;, quæ in honore sunt; ueluti pictores eos colores maxime inducut, quibus delectari passim homines aduertunt; sed ista petuntur tanquã integritatis & uirtutis testimonia. Vnde apud eos precipue, quibus cũ uiuimus, honorari, ac presertim a laudatis probatisq; uiris laudari optamus: quoniam illorum testimoniũ & præconium grauissimum est. Ceterũ immaturi honores iuuenibus collati, si leuia ingenia nacti fuerint, aut insolentes illos reddunt, aut cita satietate nauseam afferunt. Languens enim animus, & sibi ipse blãdiens facile ambitionis uitio inertiæq; corrumpitur: graues autem & constantes homines ad uirtutem & honestatem honorum aura uehementius impellit: quippe quos pudeat, si non suis se uirtutibus etiam attollant. Est quędam nõ immoderata cupiditas honorũ, fere ingenuis ho-

minibus insidens, apud sapientes omnes probata, quod a turpitudine animum retrahat, & ad uirtutis splendorem inflammet: quae certum adhuc nomen nacta non est. Nam ambitio communiter est uitij nomen, de medio uirtutis recedens, immoderatae honorum cupiditatis nota. quamquam inopia uerborum hoc ipsum nomen interdum laudi datur. Petere igitur uirtutis studio ueros solidosq; honores, qui benefacta necessario, tanquã umbra corpus, sequuntur, prudentis & boni uiri est, ac suae famae, ut par est, seruientis: uerum commendationem uulgi non æquitate & integritate morum, sed temeritate & simulatione prauis artibus quærere leuis & improbi hominis est. In quo etiã sæpe plus habetur molestiae, quã uoluptatis. Ac porro uerũ est, quod Boetius ait, Plures magnum sæpe nomen falsis uulgi opinionibus attulisse. quo quid turpius excogitari potest? Nã qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Neq; enim dignitates & honores uitia depellunt, sed improbitatem magis patefaciunt: quia in aperto sunt. Quid uero de incredibili gloriae studio, quod in Romanis fuit, loquar? qui pro nominis predicatione nullum laborem, aut periculum subire recusarunt? Num humanæ laudis fructũ aliquẽ ad animũ post mortem attinere putabãt? At quo modo? qui aut nullum sensum post mortem remanere credebant, aut

quis foret animorum status post corporis dissolutionem ignorabant? Quodnam bonũ istud est, quod inane totum est, instar e leui stipula excitatae flammae, quae extemplo euanescit? Verberare, quod aiunt, mihi aërem uidentur, qui, ut in hominum memoriam nomen suum dißeminent, nullum spiritum tranquille & otiose ducunt, sed perpetuis se laboribus & periculis frangunt. An infelices quęso putent eos, quorum cum uita nomẽ extinguitur? At quam breuis etiam est humanae gloriae terminus, si terrae, quæ tamẽ istar puncti ad cœlum est, partes habitabiles inspexeris. quarum duæ sunt e quinq; atq; in his uastæ solitudines interiectae. Nec ad eas omnes, quae habitãtur, regiones nomen nostrum peruenire potest, quoniã pleraeq; earum gentes aut imperio, aut religione, aut moribus a nobis discretae sunt. Verum cum immortalitatem expetiuerint, quodammodo futura secula augurati sunt; quae deinde Christus enuntiauit. Idemq; docuit, ut Dei commendationem potius, quam hominum peteremus, ac nomẽ nostrũ in cœlis scribi curaremus, in quibus æternum & gloriosum foret. BAR. *Tanti est Christi fides ad cognitionem rerum atq; scientiã, ut proferat in lucem res huius mundi sapientibus accultissimas. At tu tuum institutũ persequere?* NIC. *Contra eos dicendum modo mihi est, qui dominatus & imperia tantopere affectãt. quia potestate*

se Deo similes fieri arbitrantur. Sed uirtute non solo principatu Deum imitari nos oportet: qui non minus a bonitate & clementia, quam a potentia & authoritate sacris literis celebratur. Enimuero potestas omnis a Deo est, sicut asserit apostolus Paulus: ideq; iubet nos uel malis regibus obedire, tanquam a Deo in imperio constitutis. Nam sapientissimũ illud numen prudentissime cuncta digessit, ac certo obedientiae nexu inter se uniuersa copulauit atq; coniunxit. Quare si a principali causa proximarum uirtus effluit, & a primo uniuersitatis rerum imperatore ceterorum dominorum potestas deriuatur. Vnde principatu se dignũ putare hominis est de se multa sumentis; ui aut dolo illum petere, improbi atq; iniqui; at oblatum a Deo capere, grauis & modesti uiri mihi esse uidetur. At boni quidem uiri dominatũ omnẽ ad eorũ, quibus præsunt, utilitatẽ transferunt; mali uero (ut ille canit poeta)

Et claros homines uoluerũt se, atq; potẽtes;
Vt fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidã possent opulenti ducere uitam.

Quorum dominatus facile ab impotẽtia animi & cupiditate in tyrannidem conuertitur: quae nimis imperiosa & intemperans est, habens plurimum acerbitatis, inferis superisq; odiosa. Itaq; in principatu solicitudinis & angoris pleno quae

potest

potest esse felicitas? Ipsimet certe domino tyrannis non minus est formidini, quam subiectis terrori. non enim minus timet eos, quos multitudine satellitum terret, quam timetur ab illis. Profectoq; insani est uelle ab alijs timeri, & metuere timeri. Sed ipsorum tyrannorum, ut utriusq; Dionysii, Alexandri, Aristippi, uita docet quã suspecta sit tyrannis; & quam misera ostendit ipsorum infelicissimus exitus. Patitur autem summus ille mundi rector Deus interdum regnare tyrannum, ut dissolutum licentia populum saua dominatione coerceat. Verum de fortunae bonis abunde dixi: nunc bona corporis ijsdem ponderibus examinabo, quanti censenda sint. Atq; in unius uoluptatis momento cuncta perpendã: quoniam ad uoluptatẽ omnia reducuntur: nempe quae maxime omnium appetitur. Nam quid opus est de forma & pulchritudine singillatim dicere? cuius studio qui capiũtur, aut pellices sunt, aut adulteri. dicas etiã leues & inanes, quos inanis species delectet? quae aut efflorescit aetate, aut aegritudine corrumpitur. Sileo mala, quae ingentia sepe non tantum familijs, sed etiã rebusp. formae causa euenerunt. Testis est, quae in prouerbium abijt, Γ'λιάς κακῶν, quae mala graecos & troianos ob unius Helenae formam decẽ perpetuos annos exercuerint. Vereq; Salomon ait, Ob pulchritudinem multi perierunt. Ac pulchre cõmenti sunt

poëtaq;

poëtae Narcissum, dum se in fonte contemplans formam suam ardentius amaret, in sui nominis florem conuersum fuisse: ut docerent istorum formosorum studium miserrimum, & inanissimū esse: Illorum quoq; uanitatis facilis est reprehensio, qui corporis sui uiribus adeo fidunt, ut omnes flocci facere uideantur. Nam in brutis animantibus maius quoq; robur uiget, quod preterea quauis ægritudine uitiatur, & ingrauescente ætate comminuitur. Sed & sanitas ista corporis & ualetudo nonne ut ministra uoluptatum, et effectrix asciscitur? Sane qui bona corporis optant, ij ad uoluptatem omnia transferunt. Igitur cum de uoluptate dixero, de omnibus corporis bonis dixisse me cognoscetis. BAR. *Habes satis magnum & apertum campum, in quo libere exultare & excurrere tua oratio poterit. Nam quis locus est a philosophis, omnisq; generis scriptoribus magis tractatus, quam iste contra uoluptatem?* NIC. *Sic est: uerum non tam copia rerum, quam delectus & ordo in dicendo quæritur. Itaq; pro meo captu nobiliores quasq; sentētias tanquam flores carpere, quae suo decore animum acrius excitēt, atq; in ordinem redigere conabor, quo accommodatius oculis subijciantur.* BAR. *Nec aliter in hoc te cursu strenue & egregie geres, quā in superioribus.* NIC. *Consentaneū autem est prius edicere, quam uim huic uerbo uoluptatis subie-*

ctam

etiam esse uelimus. quanquam quid ego sentiam, uos ipsi intelligitis, notam scilicet turpitudinis: sed edicendum tamen; quoniam latius interdum patet eius significatio; sicut noster Barbanus prima disputatione nos docuit. Nam aliquando ad animi lætitiam, aliquando ad denotandum corporis suauitatem trahitur. uerum usus latine loquentium obtinuit, ut uoluptatis nomine iucundus in sensu motus intelligeretur. Quod M. Cicero latinae linguae magister his uerbis confirmat. In eo autem uoluptas omnium latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quae sensum aliquem moueat iucunditas. Fecit autem suauis cõmotio corporis nomen commune proprium, tum quia iucundus motus magis sentitur in sensu, quam in animo; tum quia multus & frequens est. Plures enim sensu, quam ratione ducuntur; citiusq; uoluptatem corporis, quam animi lætitiam capiunt. Hinc si quisquam de uoluptatis consectatione reprehenditur, aliorum se exemplo tuetur: nec ueretur culpam, quam maxima pars hominũ sustinet. Sed & primariorum uirorũ authoritate sese tegit: quoniam quo potentiores homines sunt, eo delicatiorem & molliorem uitam eligunt. Vt uero rectius disputemus contra uoluptatem non, ut epicurei senserunt, beatae uitae effectricem, sed belluam insaturabilem, inimicam rationis, malorum semen, insigne turpitudinis, humani generis

ris pestem, quae qualisue sit hominis natura inspiciamus. Hominem corpore & animo constare omnes asserunt; atq; illo brutis animantibus, hoc diuinis spiritibus assimilari: similiorem uero fieri eorum, quorum studia plus imitatur. Equidem parens omnium prudētissima natura ut e belluarum conditione se homo magis erigeret, corpus illi ad contemplandum cœlestia idoneum & aptum confinxit:

Pronaq; cū spectent animalia cetera terrā,
Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere
Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus.

non ut bestiarum more humi serpens gulae uentriq; indulgeret; cum dissimile corporis habitum accepisset, sed ut numen diuinum agnosceret, illudq; pie ac sancte ueneraretur. Tum mentē indidit, qua multiplicem rerum cognitionem compararet, ac rebus necessarijs commodisq; uitam instrueret: atq; eam, quia lumē & dux uitae est, in suprema arce collocauit; unde corporis & animi contrarios uirtuti motus cohiberet ac regeret. Atqui rationi nulla res adeo contraria est, ut uoluptas, quae mentem e suo statu dimouet atq; disturbat, & temperantiae atq; honestatis inimica prudentiae oculos perstringit, intelligentiae uires emollit, consilij motus impedit, ita ut nihil recte fieri possit, nihil cogitari honeste. Quae enim

enim sine sapiẽtia et moderatione uita esse potest? Quia uero nulla res homini æque perniciosa est, ac uoluptas, suis nos blanditijs corrumpens, scite Plato eam malorum escam appellauit. Nam dolose nobis sese, uelut Euae serpens, insinuat: quapropter Venerem delitiarum Deam poëtae fraudulentam finxerunt: suauiterq; bladiendo animũ suo imperio subigit, ac seruire deinceps turpem seruitutem cogit; nec secus ac Circe, quos suis uenenis inficit, in belluae formam conuertit. At quis est, qui Circes pocula degustauit? nonne

remigium uitiosum Ithacensis Vlysis?
Cui potior patria fuit interdicta uoluptas?

Non autem prudens Vlysses. Quae quidem ille pocula

si cum sociis stultus cupidusq; bibisset,
Sub dña meretrice fuisset turpis, & excors.
Vixisset canis immũdus, uel amica luto sus.

Eodem nos modo contra uoluptatem, quo Vlysses contra Circem, geramus: Herculisq; uirtutē imitati eam uelut hydram expugnemus, excidamus, incendamus. Quid autem aliud nos monet prophetarum eximius, cum inquit, Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, quam ut ratione m affectuum moderatricē, & dominam humanarum actionum ducem sequamur?

mur? Quam qui nullam sentiunt, ij paululum a belluis differunt. An nullum inter nos & quadrupedem discrimen esse existimabimus? nullamq; uim cœlestem in nobis inesse censebimus? neq; ullius uirtutis, neq; honestatis, neq; religionis studiosi erimus? nõ potius ut troiani illi senes Helenam, sic nos e uirtutis regno exulantem uoluptatem e nostris finibus expellemus? Iure igitur & merito prudentes uiri mancipia uocant eos, qui tantum res suaues & uoluptatem facientes conquirunt: quoniam pecudum uitam agunt. nec inscite Socrates non hominem, sed immanem & feram belluam eum appellat, qui uitam in libidinibus traducit. Etquidẽ si uoluptatibus beatitudo metienda esset, pecudes nobis beatiores forent; cum in maioribus & diuturnioribus uoluptatibus sint. Tũ numerabis inter bona id, cuius sitis inexplebilis est, ac quod ad exiguum tempus durat, & discedẽs tristitiæ angorisq; uestigia relinquit? Quid horum non est in uoluptate? an unquã expletur? an diu est? an sine cruciatu appetitur? aut sine dolore hauritur? Sed mala, quae ex uoluptate oriantur, aduertite, stupra, adulteria, incestus, proditiones, cædes, familiarum ac rerump. euersiones. Et quod facinus est? quod scelus? ad quod suscipiendum libido uoluptatis nõ impellat? Videtis morbos, uidetis ægrotationes, quae a uoluptate nascuntur. Certe haud plures ferro, quã uolupta-

uoluptatis uenenato melle periisse, conspicitis. Potest ne igitur bonũ ullum esse, quod tot tantorũq; malorum est causa? Ac bene poëta ille te monet,

Sperne uoluptates; nocet empta dolore uoluptas.

Postremo quis est tam amens, tam durus & impudens, qui de uoluptate glorietur, quae nullũ habet cum honestate commercium? Atqui de re bona quisq; libere gloriatur. Glorietur uero Sardanapalus porcus de Epicuri grege de suis uoluptatibus, qui moriẽs in busto hæc iussit incidi,

Hæc habui, quæ edi, queq; exaturata libido
Hausit: at illa iacent multa, & præclara relicta.

Quid tu aliud in porci sepulchro inscriberes? atq; ea se habere dicit, quæ neq;, dum erat in uiuis, habebat diutius, quam cum eis frueretur. At quem exitum uoluptatum suarum habuit? Regis turpitudinem amplius non ferentes Assyrij quammiserrime illum obtrũcarunt. Hoc summi boni summum præmium, nex cum turpitudine crudelissima. Satis uidetur e numero bonorũ uoluptas exclusa. Refellendi sunt etiam hi, qui summum bonũ in non dolendo posuerũt, ex eadem Epicuri schola profecti. Qui porro nobis bonum quoddã proponunt, quod in huius lucis usura haberi non po-

test; nec quale etiam sit cogitari. Nam necesse est aut hominem te non esse, ne unquam doleas; aut hominem tale bonum consequi non posse: nisi forte motum omnẽ animi ex corpore sustulerint. quo sublato quid inter nos & truncum illum intererit? Adhoc non dolere modicum est tantorum laborum præmium, quos pro acquirenda felicitate suscipi oportet. Quid? si dolorem eximunt ex animo, etiamne gaudium extirpant? Cuiusmodi ergo est summum istorum bonũ, quod nullam animi lætitiam affert? Quod si gaudium aliquod affert, certe non in non dolendo, sed in lętando fęlicitas erit. Et si hominis bona omnia in corpore sita esse uolunt, quod multarum rerum est egens, mortale & dissolubile, quid nobis rectis artibus opus? aut cur frustra uirtutũ studia exercemus? &, ne graue aliquid dicam, cur Deum colimus, qui animo colitur? quo nos spoliare epicurei uolunt. Verum sapienter nos monet Apollinis illud oraculum, Nosce te ipsum, ut non tantum animi superbiam & tumorẽ deponamus, sed etiam naturae nostrae cœlestem conditionem contemplemur: ne diuinus animus aut inutilium rerum curis distrahatur, aut uoluptatum flagitijs sordibusq; contaminetur. Digni profecto Epicurei sunt, quos ex hominum cœtu ad bellua excludamus: quarum uitam imitantur. Ac quęso mortales paulisper cogitationem suam ad Cresi,

 Sardana-

Sardanapali, Alexandri, Cęsarum sepulchra traducant: tum illorum cineres intuentes se ipsos interrogent, quo Cresi diuitiae, quo Sardanapali uoluptates, quo Alexandri potentia, quo Cæsarum nobilitas & dignitates abierint. Si sapient, fatebuntur uerissimum esse quod a Salomone dicitur, Vanitas uanitatū, & omnia uanitas pręter amare Deum. Concludamus ergo rem ita, neq; in fortuna, quae extra nos est, neq; in corpore, cuius sensus fragiles & caduci sunt, bonum ullum esse, quod possessorem suum meliorem beatiorēue possit efficere, nedum ipsum summum bonum: quo nemo non & bonus, & felix, & beatus semper est. BAR. Egregie tuo munere perfunctus es Nicolae; atq; e summi boni sede omnem fortunae facultatem, ac corporis uoluptatem copiosa & ornata uerbis sententijsq; oratione summa cum auditorum gratia deiecisti. Ceterum tibi Merula non minor labor & opera sumenda est in remouendo ab eadem sede uirtutem: quā illi nobiliores sectae philosophorum concedunt. MER. Quod mihi grauem administratu prouinciā datam esse dixeris, gaudeo: Nam digniorē excusatione me habueritis, si in tanto officio minus uestrae expectationi satisfecero: cum praesertim munus hoc demandatum mihi sit, non a me expetitum: nec mihi integrum fuerit recusare. Sed priusquam ostendam uirtutem summum bonū non

esse, praeter rem fore non arbitror quid ipsa sit, quotq; eius genera explicare. Virtutis nomine, quae illis a uiro dicta est, romani fortitudinem intelligi uoluerunt: quam in homine excellere putarunt; cum armorum studio rem suam augerent: sed deinceps ad omnem animi laudabilem & honestam affectionem eius uox deriuata est. Itaq; Cicero Virtus inquit cunctas animae partes, prout statuit natura, disponit & seruat. Ex quo philosophorum nonnulli unam duntaxat uirtutẽ esse dixerunt, rectam inquã & cõstantem totius animi compositionem. Igitur definiamus uirtutẽ esse animi perfectum habitum: cuius nimirum uires nec ignorantiae uitijs debilitatae, nec perturbationũ morbis effractae; ad sua quaeq; munia prõptae & idoneae sunt. Itaq; quot animae partes, tot etiam sunt genera uirtutis. Partes autem animi duae, mens, seu ratio, & appetitus. quare duo etiam uirtutis genera: alterum, quod intelligentiam perficit, a philosophorum uulgo intellectuale uocatum; alterum, quod appetitum moderatur, dictum morale, non solum quia exercitatione & consuetudine, quam mos significat, acquiritur, sed etiam quia propensiones & affectiones animi, quas hoc alterum uirtutis genus regit, eodẽ moris nomine a latinis nuncupantur, a graecis ἤθη. Vnde eam philosophiam, quae in regendis animi motibus uersatur, ἠθικὴν illi, nostri moralem nominarunt.

minarunt. Huius posterioris generis quatuor sunt partes, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Prudentia est recta rerum agendarũ ratio. Nam morales actiones intelligentiae ui gubernat. Iustitia (ut a iureperitis definitur) constans & perpetua suum cuiq; tribuẽdi uoluntas. At fortitudo est laborum periculorumq; contemptio. Temperantia uero cupiditatum rationi obediens moderatio. Omnium autem moralium uirtutum caput est prudentia: a qua reguntur. Has ego moralis uirtutis partes breuius perstrinxi, quia omnibus notae sunt. At alterum uirtutis genus, quod in Intellectum, Scientiam, & Sapientiam a philosophis secatur, aliquanto latius pertractabo: utarq; his interdum uocabulis, quae illorum propria habentur. Intellectum finiunt esse perceptionem principiorum; e quibus non dubijs certae conclusiones efficiuntur. Graeci uocant ἀξιώματα, quae latine Cicero modo pronunciata, modo enunciationes & effata dixit, scilicet, κυρίας δόξας: sententias inquam, quae ui sua & dignitate statim sine ulla recusatione mentis assensionem captant. Quas orationes per se euidẽtes atq; perspicuas, de quibus animus nihil addubitat, sed comprehensas & fixas habet, nonnulli dignitates appellant: aliqui maximas propositiones; nempe e quibus uis conclusionum emanat: quidam communes animi notiones, quoniam aeque

ab omnibus cõcipiuntur. Cuiusmodi sunt illae: To tum est maius sua parte, & De quolibet uerũ est dicere quod est, aut non est. Quibus quidem animus assentitur, statim atq; illarum uoces agnouit. Nam ubi totius & partis uerborum uim percepit, illico totũ maius esse sua parte firma assertione approbat. Principiorũ uero quędã late patẽt, atq; omnibus scientijs communia sunt, quędam pręcipua ac propria cuiusq; doctrinae. Verumtamen principiorum notitia cum nullum certum nomen haberet, intellectus nomen occupauit, a quo comprehenditur. At uero scientia est rerum eodem se modo semper habentium cognitio. Nam oportet necessarias, perpetuas, & indissolubiles esse res, quarum extet scientia. Neq; enim arbitramur nos alicuius rei scientiã habere, quae aut non existit, aut cuius natura manens non est, sed mutatur. Quare singularum rerum, quae innumerabiles sunt, ac semper uariantur, nulla potest eße scientia, sed dumtaxat uniuersarum; quarum certa ratio, atq; eadem semper est, ex ipsorũ indiuiduorum communi natura mentis artificio deducta. cuius gratia res singulares sub intelligentiam cadunt. Fit autem scientia ex perspicuis notisq; ex se principijs per argumentationem, quae à gręcis ἀπόδειξις, a latinis ob euidentiã & enargiam demonstratio dicitur. Nam inductio, ad quã refertur exemplum, rerum singularium, demon-

stratio

stratio uniuersalium est. Est autem demonstratio (ut Ciceronis uerbis utar) ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit. Sunt autẽ res perceptae ratae ac firmae propositiones, causae, de quibus quaeritur, conclusionum. Haec ex certis causis, siue principijs necessario effecta cognitio scientia proprie nominatur. de qua satis multa Aristoteles in libris, quos δεύτερα ἀναλυτικὰ inscripsit. Sed & principiorum intelligentia interdum, & cuiusuis rei notitia communiter scientiae nomine appellatur. Nos uero de ea scientia loquimur, quae rerum est necessarie demonstratarum cognitio. Verum Sapientia in re aliqua praestantiam significat. Itaq; excellentes artifices, ut Apelles, Phidias, Polycletus, sapientes nominati sunt. Et Thales unus è septẽ Graeciae sapientibus a cõtemplatione naturae (ut Plutarchus scribit) sapiens dictus est; cum reliqui a ciuili scientia hoc nomen adepti fuissent. Et prudentia sapientiae nomine aliquando signatur; quod moralium uirtutum princeps, & uiuendi ars & magistra sit. Sed tamen quae inter uirtutes inspectiuas siue θεωρικὰς praestat, hoc nomen tanquam proprium ab excellentia uendicauit. Est autem proprie dicta sapientia mẽtis uirtus, quae & principiorum intelligentiam, & cõclusionum scientiã complectitur; ac res in uniuersitate mundi quammaxime praeclaras, & principales causas contẽ-

platur, sicuti mentes diuinas, quae nihil concreti habent, ipsumq; moderatorem uniuersi Deum, qui res uniuersas administrat. Quamobrem ceteris doctrinis atq; scientijs & rerum, quas pertractat dignitate, et cognitiōis amplitudine antecellit. Nam primarias et summas rerum causas inuestigat; e quibus in proximarum causarum, et in eorum, quae e causis fiunt, cognitionem uenitur: ac principia, e quibus demonstrationes ducuntur, exponit; deq; illorum uocibus, & natura disputat. Ideoq; ceterarum scientiarum atq; uirtutum domina & princeps est: quoniam opificij sui modum cuiq; architectatur, & intellectu principiorum, & scientia conclusionum melior, cum utriusq; uim contineat. Quapropter sapientiam nonnulli finiunt esse rerum diuinarum scientiam; illiq; etiam tribuunt cognitionem rerum humanarum, quatenus principiorum & principalium causarum intelligentia ad omnium rerum inspectionem & notitiam ualet. Proinde uniuersa uirtus, ipsa inquam hominis perfectio, sapientia uocata est. Quae sint igitur mentis atq; intelligentiae uirtutes explicuimus: Prudentiam uero, licet in eodem numero ponatur ratione domicilij, tamen propter eius meditationem & usum cum moralibus annumerauimus. At artes, quae sunt rerum faciendarum rationes, quamuis mentis uirtutes sint, tamen, quia solum ad corporis

necessitates conquisitae & inuentae sunt, silentio pretermisimus. quanquam interdum artis uocabulum ad omnes doctrinas & scientias trahitur. Proprie autem ars recta faciendarum rerum ratio est, ut prudentia agendarum. Est autem facere opus extra se post factionem relinquere; ut qui ex luto, ligno, aere, aliaq; alia materia quidquam conficit: at post agentis operam nihil reliqui est, quod ullo sensu percipiatur; quales precipue sunt moralium uirtutum actiones; quarum nullum opus extat, quod sub oculorum aspectum cadat. Hinc artifices & materiam, & artis suae instrumenta sepe aliunde mutuantur: qui uero prudentiae munera exercent, omnia in se ipsis habent. Quando autem uirtutis naturam, & partes exposuimus, quaerendum arbitror, an in uno aliquo uirtutis genere summum bonum, an in uniuersa uirtute constituant. Equidem Stoicis summum bonum est in sedatione animi perturbationũ. Quam uehementiorũm animi affectionum moderatricem uirtutem ad bene beateq; uiuendum satis per se ipsam ualere existimarunt, ita ut nullius rei indigere, nulla uoluptate affici, nullo dolore angi possit, qui in unius uirtutis possessione fuerit. At quaeso fortitudo, quae irae motus frenat, & pericula subit, & dolores pro aequitate perpetitur, quo modo potest esse cum malorum perpessione summum bonum? Adhoc

Temperantia, quae libidinis impetus moderatur, quam habet ipsa in prætermittendis corporis uolu ptatibus delectationem? Ideoq; opinor uirtutem ferream a nonnullis uocatam fuisse, quoniã omni suauitate careret. At parit inquies, ut pugna ex uictoria, lętitiam? Esto pariat. ipsa tamen actio uirtutis licet laudabilis & honesta sit, tamen iniucunda est. Tum si fortitudo summum bonũ est, erit quidem & temperantia; quoniam ęque uirtus est uoluptatum moderatio, ac malorum perpessio. Atqui unum est dumtaxat summum bonum. Prę-terea temperantia a fortitudine quodammodo generatur; quoniam esse temperans non potest, qui idem non est fortis. ergo summum bonum a summo bono, quoniam uirtus a uirtute producitur. Quo quid potest dici absurdius? At nõ una tantũ uirtute Stoici, sed totius animi recta cõpositione felicitatem hominis describunt. Verumenimuero quæram a Stoico aliquo, an cum ceteri homines ad degendam uitam multa undiq; conquirant, ipse nullis escis et potionibus ad uescendum, nulliusq; generis indumentis ad tegẽdum corpus indigeat, sola animi recta moderatione contentus? Profecto haud inficiabitur sibi etiã rebus ad uitae usus neceßarijs opus esse. Igitur hoc ipse beatus non est, quo egens est. At minimae sunt res istae, quibus indigemus? uerum necessarijs, sine quibus uita degi non potest. Tum ita affectũ ani-

mum uolunt, ut nullũ omnino aut amoris, aut odij motum sentiat: quasi repentinae ac subitae commotiones animi in hominis potestate contineãtur; aut peccati fomes, hoc est, depravatae naturae uitio innata nobis ad peccandum propensio, humano ingenio, & uirtute non dicam extingui, sed ullo modo reprimi possit. Quem si minus cognouerunt, at certe in se ipsis satis experti fuerunt. Quare potius uerbis speciosam & cogitatione tãtum effictam quãdam animi compositionem praedicarunt, quam quae in ullo homine unquam reperiatur. Ista mihi satius est stupiditas & durities, quam ulla animi uirtus. Nam nullo affectu moueri stuporis est potius quam uirtutis. Nec solum illi uolunt nullam animi perturbationem, sed ne corporis quidem ullum dolorẽ posse a sapiente sentiri. Equidem quod sit horum summum bonum haud intelligo. An potest aliquis beatus esse, si uerberetur? si crucietur? si tormentis conficiatur? At corpus dicent, non animi constantiam, non fidem, non magnitudinem cruciari. quasi Regulus ille, quod fidem hostibus seruasset, dum cruciaretur a pœnis, nullos ipse cruciatus sentiebat. Si perturbatur animus & angitur homo est miser, & si torqueatur corpus, erit beatus? quasi corpus pars hominis non sit. Sed hoc magis adhuc miror, cur Stoici, cum animo tantum tribuissent, illius immortalitatem negarint? quem

uel

uel una cum corpore statim interire, uel post corporis dissolutionẽ annis aliquot errare, ac tandem dissipari crediderũt. Ergo caducũ, breuisq; tẽporis est summũ Stoicorum bonũ, nec omni ex parte hominem beatum efficiens: quod nos æternũ, atq; omnibus bonis expletum & cumulatũ uolumus. Nec meo quidẽ iudicio tantis in laboribus se ullus exerceret, quos subire honesti ratio iubet, ac tantis uoluptatibus se priuaret, quas delicatũ uitæ genus affert, pro Stoica uirtute, quam & parari ἀδύνατον est, & cũ corporis sensu dissolui oportet. Melius forte cum Epicureis actum: qui opinati animũ una cum corpore interire, uoluptariam uitam amplexi sunt, nõ genus istud uirtutis, quod omnẽ sensum ex animo extirpat, & incredibilem stuporem ingenerat. Philosophorum alij in nobiliorem animi partem intuentes, nihil esse bonum dixerunt præter contemplationem rerũ atq; scientiam. Quod si beatitudinis artifex scientia est, nõ potest idiota & illiteratus homo non semper miser esse. Solum felicissimus Aristoteles, Empedocles, Democritus, ceteriq;, qui a sapientiae studio philosophi nominantur. Nec inficior a natura nobis innatam esse discendi cupiditatẽ; quod animus noster scientiarum cognitione alatur: sed eadem parens natura non omnes ad scientiae studia habiles aptosq; confinxit. Nam quibusdam ingenij solertiam, quibusdam memoriae alacritatem,

quibusdam

quibusdam iudicij uim et constantiam denegauit: Quare non sua culpa miser est idiota, sed naturae, sed potius Dei, qui naturae dominus est. Quomodo igitur Deus iustus, si præter æquitatē in miseria eum esse patitur, a quo miseriae causa nulla existit? sed quem ipsemet ad capessendā rerum scientiam adiumentis naturae spoliauit? Atqui summū bonum eiusmodi est, ut omnibus hominibus æqua conditione propositum sit. Atq; hoc ipsum Aristoteles confirmat. Sed cum inquit, Felicitas ab omnibus comparari potest, nisi quis sit ineptus, scire uelim, quem uocet ineptum. An eum, qui a natura aptus non est? Ita nō suo uitio, sed naturae homo in miseria est. Mihi is ineptus est, cui mala mens, malus animus est. qui Dei gratiam, munus id inquam, quo animus ad diuinarum rerum uerā atq; utilem cognitionem, quae fides dicitur, informatur, recusat accipere: ut nemo miser nisi a se ipso sit: prout ille inquit, Nemo læditur, nisi a se ipso. Adhoc summum bonū eiusmodi est, ut labefactari non possit: scientia uero sæpe morbo corrumpitur. At quæso cuius ne rei scientia parari summam felicitatem autumant? An dicendi? Soli igitur oratores beati. An iuris? Non potest igitur nisi iuris peritus felix esse. An medendi? Solis igitur medicis bene est. An eius philosophiae, quae rerum causas, & naturam scrutatur? Omnes igitur præter naturales philosophos

sophos miseri. An moralis philosophiae? igitur qui morum & officiorum praecepta ignorat, in malis uiuit. An metaphysices, quae res simplices, indissolubiles, & aeternas contemplatur? Vna igitur metaphysice beatum hominem facit. An mathematicarum disciplinarum, quae formas rerum a corporibus abducunt? Solis igitur mathematicis disciplinis beate uiuendi ratio continetur. At beatum plane hominem fieri non posse inquient, si non penitus omnium rerum cognitionem atq; scientiam consecutus fuerit. Primum inter tot huius uitae molestias, in tam breui aeuo infinita rerũ scientia nullo modo capi potest: Ac doctissimi uiri recte senserunt ea, quae ipsi scirent, minimã esse partem eorum, quae nescirent. Tum si diuersis inter se, dissimilibusq; scientijs in dissimilia studia mens diuidatur, nullius rei certam sciẽtiam assequi poterit. Quin etiã multa ignorare saepius expediret. Et bonarum malarumq; rerum cognitio quam habet laudem, si non sequimur expetenda, & fugienda reijcimus? Quare animi temperantia doctrinarum scientiae hoc anteponẽda est; quod illa tranquillitatem ingeneret, haec anxietatem afferat. Nam ut sapiens ille inquit, Qui quaerit scientiam, quaerit & laborem; quoniam discendi finis nullus unquã inuenitur: uerum unius rei cognitio alterius rei desideriũ gignit. Sed nec perturbato animo ullius rei sciẽtiã consequi possumus.

sumus. Demus igitur posse omnium rerum scientiam acquiri, num ea homines meliores reddentur? æquiores, fortiores & temperatiores? Vtinam peritiores doctrinis homines non grauioribus se flagitijs fœdarent. Aut quotusquisq; est philosophorum, qui finem in scientia ponat, non autem scientiā aut ad quęstum, aut ad nominis sui prędicationem referat? Incredibili uerborum magnitudine doctrinarum scientiā metiuntur: sed eorum pleriq; diuitias, pleriq; honores, pleriq; popularem quandam auram & inanem philosophiae nomine consectantur. Iidemq; philosophi tradiderunt uirtutis radices amaras esse, fructus uero suaues; quod uirtus non sine magno labore comparetur; cōparata suauissimos fructus producat. Sed quos fructus? laudem, gloriam, honores, authoritatem, existimationem. Hos illi fructus laborum suorum, non uirtutē ipsam expetiuerunt. Meritoq; *satyricus Iuuenalis,*

-- maior famæ sitis est, quam
Virtutis. Quis enim uirtutem amplectitur (ipsam,
Præmia si tollas? --

Postremo cū appetitus & ratio utraq; pars animi sit, ad eius felicitatem utriusq; incolumitas requiritur, ut & uirtutes omnes adsint, & nullius rei sciētia desit. At quis inuentus est mortalium, aut inuenietur unquam, qui inter peccatorū

fomenta nulla cupiditatis, aut irae cōmotione tangatur; & in tantis naturae latebris tantarum rerum cognitionem percipiat? Sed constituamus tamen omni ex parte bene affectum animum, et absolute sapientem, qui totus sit aptus ex sese, & (ut poëtice loquar) totus teres atq; rotūdus, hoc est, summe & absolute perfectus; erit ne tum homo beatus? Ego summum bonum intelligo, quod omnia bona contineat, quod omnibus bonis cumuletur, cui nihil addi, nibil ab eo demi queat. Atqui ad isthanc animi optabilem compositionē accedant necesse est bona corporis & fortunae, ut hominis beata uita compleatur. Quamobrem Peripatetici cum felicitatem in uirtute, utpote prestantissimo hominis bono statuissent, ad perfectae completaeq; beatitudinis rationem adiumēta uirtutis, bona inquam corporis & fortunae, adiunxerunt. Itaq; qui ex trium bonorum animi corporis & fortunae aggregatione perficeretur, hunc beatitudinis statum esse affirmarunt: Sed cum uideret simul omnia bona corporis & fortunae a singulis possideri non posse, dixere beatiorem illum fieri, qui pluribus bonis abundaret: Sed quale istud est Peripateticorum summum bonum, quod accessionem patitur, decessionemq; bonorum? Ego si qui beatus semel est, non uideo quo modo fiat beatior. Nam cui aliquid adiungi potest, illud summum nō arbitror. Tum etiam ijdem Peripatetici

non

non a uirtutis habitu, sed actione felicem hominem esse aiunt. Recte. Sed qua ratione id probant? Quia nimirum beati a miseris, dum dormiunt, nihilo differunt. Quare summum Peripateticorum bonum concisum est. Ego felicitatem continentem amo. De amicitia nihil loquor, quam ad beate uiuendum necessariam ijdem existimant. Sed, qualem ipsi uolunt, nulla inter illos esse potuit: quoniam uoluntatum & animorum consensum sola Dei charitas facit. Quem nos locum tibi tractandum F. Bernardine relinquimus. Ceterum post mortem qua beatitudine hominem fruiturum putant? Hærent. Alij dissipari cum corpore animum, alij eadem studia retinere opinantur, quae in uita habuisset: nec certi quidquã asseuerant. Cuius certe rei ignorantia noctes ac dies animum solicitet atq; angat necesse est. Tamẽ illarum inscientia digna excusatione uidetur, quia in christianae ac diuinæ fidei lumen nullum aspexissent: quod tenebras humano generi primi parentis scelere obductas discussit. quanquam ingenio consecuti sunt, quicquid fas erat attingi. Cum tamen animaduerterent felicitatem, qualem ipsi describerent, in hac luce nullo modo posse a nobis haberi, nec decere innatum felicitatis desiderium in homine uanum & mendax esse, qui ceteris animantibus naturae dignitate et ratione antecellit, suspicari forte potuissent, bea-

tiorem aliam uitam nobis post mortem fore: etsi quae, qualisue foret per se ipsi non intelligerent. In huius autem mortalis uitae usura satis aperte uidemus uerissimum esse quod Horatius canit,

---- Nihil est ab omni
Parte beatum.

Sed ut ad exitum nostra perducatur oratio, qui summum bonum in uirtute posuerũt, hi certe plus alijs uiderunt, & nobilitatem hominis melius considerarunt. Nam qui bona fortunae reliquis bonis prætulerunt, hi rem alienam ab hominis natura persequuti sunt: qui uero corporeas uoluptates adamarunt, hi belluarum similem uitam delegerunt. At uirtus honestatis & dignitatis est plena, animi ornamentum, humanae uitae magistra, quouis humano bono potior. Quocirca propter se dicitur expeti, non quod omnium bonorum extremum sit, in cuius conformatione hominis animus conquiescat, sed quod habeat in se causam, quamobrem ametur. Neq; uero hæc a me de uirtute ita dicta sunt, quasi uelim animi rectam affectionem e beatitudinis finibus excludere: sed eam rem quærimus, cuius adeptione nõ solum animi uirtutes absolute perficiantur, sed totius hominis etiam uita beata undiq; complectatur. At qui explere sciendi cupiditatem nisi rerũ causæ cognitio non potest; nec animi appetitionẽ


tranquil-

tranquillare, nisi id, quod uniuersum bonũ complectitur. Est enim hominis natura uniuersi ac sũmi boni capax. Id autem est Deus. Quare aliarum rerum scientia sine uera Dei cognitione beatitudinem perficere non potest, nec animi compositio ab humana, non diuina ratione prescripta securitatem & tranquillitatem uitae obtinere. Nec animi laudabilis affectio ipsa est summum bonum, sed ad summi boni adeptionem faciens cõpositio. Sed & philosophorum nobilissimi cum a duabus animae partibus felicitatẽ hominis duplicem effecissent, actiuam, quae in uirtutis actione consistit, & inspectiuam, quae in indagatione rerum & consideratione uersatur, tandem ex diuini numinis cõtemplatione summam felicitatem constare uno consensu asseruerunt: quod diuinum numẽ res omnes, quae mẽtis oculis obijciuntur, dignitate & maiestate uinceret; quippe uniuersitatis rerum causa atq; principium. Verum ipsam animi humani cum Deo coniunctionem, qua cum Deo unus spiritus efficimur, ne suspitione quidem ulla attingere potuerunt. Qua porro coniunctione hominis beatitudo conficitur. Nam appetitum rectissime componit, ac rationi totum obedientem reddit, mentemq; ita illustrat, ut numen diuinum plane uideat, & in eo tãquam in speculo res omnes contempletur. Ex qua animi felicitate gloriosa immortalitatis conditio etiam in corpus, cũ

a terra nouissimo die excitabitur, deriuatur. De qua si uellem plura dicere, merito uiderer in alienā messem (ut dici solet) falcem immittere. Mihi satis est ostendisse summum bonum in uirtute non esse. Quod si effeci, profecto cumulate meum munus expleui.



IO. ANTONII VIPERANI DE SVMMO BONO LIB. IIII.



Deum esse summum bonum.



INTERROGATVS Petri frater Abdala Saracenus quid in hac mundi scena magis admirandum censeret, respondit hominem. Digna uox sapiente, & sui generis conditionem contẽplante philosopho. Nam ceterarum rerum suum cuiq; proprium genus est: homo uero omniũ rerum naturas participat. Siquidem aliae sola intelligentia constant, ut diuinae mentes, quas angelos nuncupamus; aliae rationis expertes sensibus instructae sunt, cuiusmodi bruta animantia, quae interiore motu corporis agitãtur; aliae pri-

uatae sensibus uiuunt tamen & uigent, sicut stirpes, quae terrae nutrimentis aluntur; quędam etiam nullius horum modorum sunt, dumtaxat in rerum natura sunt: atqui homo & est, & uiuit, & sentit, & ratione utitur. Itaq; omnium naturarum rationes complexus uniuersi rerum similitudinem gerit. Quamobrem uulgo gręce μικρόκοσμος, & a sacrarum rerum peritis creatura mundi iure & merito nominatur. Nec abs re parens uniuersorum Deus in meditullio terrae illũ locauit, ut uidelicet mundum undiq; contemplaretur & miraretur: eumq; non ut ceteras animantes ad pastum abiecit, sed ad cœli conspectũ erexit principem omnium animantium, & diuinorum spirituũ quasi gentilem. Ac quoniã liber est, suiq; iuris, habẽs in sua potestate suarũ actionum principium, potest ad quam rem uelit animum appellere: dumq; ad cœlum se attollit, diuini numinis præstantiam assequitur; dum uero ad terram inclinat, pecudũ mores effingit; ac quẽadmodum polypus in eius saxi colorem mutatur, quod pedum amplexu tenet, sic eius rei naturam suscipit, quam animo amplectitur. Hinc qui sapientes inter Chaldęos usurpabantur, hominem uarium & multiforme animal appellabant: & Asclepias Atheniensis modo chamaeleontem, modo Protheum uocitare solebat, quod in multas se figuras formaret: et Mercurius trismegistus nullum

lum in uniuersitate rerum maius homine miraculum inueniri posse dictitabat, quoniã in omnium rerum similitudinem & naturam conuerteretur. Optimeq; D. Augustinus inquit, Si terrã diligis, terra es; si aurum diligis, aurum es; & si Deum diligis, Deus es. Sunt porro humani animi partes duae, appetitus & ratio; licetq; appetitus rationis expers sit, tamen imperium rationis agnoscit. Hinc qui appetitus motus ratione non frenat (ut propheta loquitur) iumentis insipientibus similis efficitur; quin omni efferata bellua immanior, si peccandi licentiam & impunitatẽ nactus fuerit. Sin uero appetitum rationi obedientem reddit, & cœlestem cognationem suam uidet, & diuini numinis religionem colit, profecto angelorum uitam in terris agit. Qua re quid dici, aut cogitari potest admirabilius? Et quidem homo & angelus, quatenus rationis compotes sunt, magnam inter se similitudinẽ habent: & qua ratione uterq; numen diuinum mente & intelligentia exprimit, forma Dei, et diuini uultus lumine insignitus apparet; & quia uirtute præditus est, etiam æternæ beatitudinis capax uterq; existit. Quo modo inter se adeo conueniunt. Quam in rem Christi testimoniũ ualet dicentis apud Mattheum, Aequales erunt homines sicut angeli in cœlo. Ceterum angelus generis simplicitate homini præstat, qua magis ad naturam diuinam accedit;

cedit; tamen homo pluribus rationibus angelo prefertur, quia pluribus angelo modis Deum imitatur. Nã ut omittã quod Deus naturã humanã, non angelicã assumpsit, quod propter humanũ genus supra angelicum extulit, & animi simplicitate Deo similis est; & ueluti spiritus Dei mundum, sic anima hominis corpus intus alit & regit; atq; ut diuinæ personae se inter se producũt, sic homo hominem generat. In angelis uero nulla est generatio communicatioq; naturae. Ideoq; sub lunari hoc orbe Deus humani generis curam prae ceteris rebus habere uidetur, quod a nullo animante præterquam ab homine religiosa mente colatur. Neq; enim ullum est ex tot generibus animal præter hominem, quod aliquam Dei notitiam habeat. Nec inficior res uniuersas diuina prouidentia administrari, cum ne auiculae quidẽ ullae in obliuione Dei sint, uelut sacra scripta testantur: sed præcipue res humanas illi curae esse aio ob hoc ipsum, quia homines diuinae naturae cõsortes, et cœlestis felicitatis participes fiũt. Quo modo apostolus Paulus tradit de bobus Deo curam non esse in eo, in quo diuinae gloriae expertes sunt. Hominem uero Deus sic dilexit, ut unicum filium suum in terras e cœlo dimiserit, qui errantem illum in salutis uiam reuocaret, & a diaboli potestate eriperet, & in cœlestem patriam atq; æternã hæreditatẽ traduceret. Quãobrem

obrem licet homo de terra, & in terra factus sit, non tamen ad terram, nec propter terram, sed ad cœlum & propter cœlum: & cum cetera hominis causa procreata sint, homo tamen ad intelligendum fruendumq; Deo pręclara quadam conditione generatus est: sicut D. Augustinus inquit, Fecit Deus rationalem creaturam, quae summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, ac possidendo frueretur. Id quod præsente disputatione F. Bernardinus Barbanus asserere conatur. Ipsum itaq; audiemus.

Hodierna disputatio & grauitate, & difficultate, & utilitate rei debet auditorem attentũ facere. Nam loquendum est de Deo, utpote summo bono. Qua re nihil maius, nihil etiam potest excogitari utilius. Sed & uerecunde loquendum, & intelligenter, ne qua falsa opinione philosophorum abducamur. Est porro summi rectoris & domini sanctum & augustũ numen: neq; ullius rei cognitio nobis æque necessaria est, ac finis; cuius ignoratione nostrum cuiusq; uita fluitat, uelut in alto nauis, tempestatibus perturbationũ, & sententiarum. Enimuero nobis (ut D. Augustinus monet) nec infra Deum stãdum est, nec ultra Deum aliquid quærendum: illud periculosũ, hoc nullum est. Vos certis argumentis effecistis, ut ne in ullis aut fortunae, aut corporis, aut animi bonis finem constitueremus: ipse ostendam hodie

illum

illum in Deo esse ponendum. Verum ut attentionem docilitas comitetur, aperiam qua uia nostra procedet oratio. MER. *Bene facis; ne inscientia dicendorum noster animus aberret, atq; alio euagetur.* BAR. *Statui primũ demonstrare Deũ bonum esse; deinde summum bonum; tum ab omnibus rebus naturaliter expeti, sed peculiari ratione ab homine percipi; postremo, quo Deus ab homine uideatur, modum exprimere: nẽpe in cuius aspectu nostra felicitas sita sit. Quem igitur ordinem sequar tenetis.* MER. *Tenemus.* BAR. *Primum igitur explicare oportet Deum bonum esse.* MER. *Sic statuisti.* BAR. *Liceat uero mihi per uos nonnulla eorum, quae superioribus disputationibus a me tractata sunt, hoc loco replicare: quorum cognitio ad propositi nostri explicationẽ plurimum facit.* MER. *Tibi per nos licent quæuis.* BAR. *Bonum, ut recte meministis, a perfecto re non seiunxi. Nam quod bonum, id etiam perfectum est. Perfectum autem est, quod naturae suae conueniente modo affectum est; nimirũ quod est omni ex parte in suo genere expletum & absolutum.* NIC. *Memini hoc a te dictum.* BAR. *At te nunc interrogo, an præstantiora putes esse ea, quae uim suam & absolutionem alijs acceptã referunt, an ea, quæ perfecta ex se ipsis sunt?* NIC. *Sane ea, quae ex se ipsis, non ex alijs apta sunt.* BAR. *Bene ais. Sed ad hoc etiã abs te peto,*

num

num id tibi expletum perfectumq; uideatur, quod adhuc aliquid appetat? NIC. Minime quidem. Nam qua ratione alicuius rei eget, expletum non est. BAR. Belle. Ergo si perfectũ id est, quod nullius rei eget, profecto seipso contentũ est. NIC. Certe. BAR. Atqui seipso contentum non est, quod ab alio est, sed id, quod a nullo est. siquidem nullam rem extra se quærit. Nam si aliquid extra se quæreret, penderet sane aliunde. NIC. Ita prorsus. BAR. Quid autem est in uniuerso, quod aliunde non pendeat? Deus is est solus, qui a nullo originem ducit, semper idem existens, aliorum ipse principium. NIC. Verum ais. BAR. Principium autem rerum ui sua æternũ est. Non enim ex alio ortum est; alioquin principium nõ esset: nec ex se oritur; nam esset ante se ipsum: nec interibit unquam; nihil enim seipsum deserit. solũ igitur principium uere perfectum est. Quae uero a principio generantur, non item perfecta sunt. quoniam quae ab alio fiunt, concipere totam illius uirtutem nequeunt. Præterea principiũ simplex est, nulla ex re compositum: alioquin principiũ non esset, si eo res aliqua prior existeret. Existit autem prior res ea, quae componit. Etenim multiplex illud est, cuius aliqua origo est. Simplicis autem nulla origo reperiri potest. At principium nõ oritur aliunde. Simplex igitur est: ac deinceps purum; quoniam omni admixtione liberatur. Ea

quippe res inficitur, quæ alteri admiscetur. Quod si purũ est, & uerũ est, nempe syncerum, ac nullo uitio deprauatum. Mendax enim est id, cui aliquid uitij inest. Quod autem in se omnia posita non habet, satis mendosum, & natura sua mancum uidetur. Atqui principium nihil foris petit, nihil extra se quærit. His de causis bonus est Deus, quia perfectus; perfectus, quia principium; principium, quia simplex; simplex, quia purus; purus, quia uerus; uerus quia ex se existit. Vnde in sacris libris Deus uocatur, Qui est: quia ex se est simplex & sempiternus. Hinc excellentes philosophi Iouem, quem πρῶτον ἄιτιον esse dixerant, τὸ ἀγαθὸν uocarunt: et Pythagoras ille Samius, cuius domus habebatur templum, & uerba credebãtur oracula, summum Deum Apollinem esse asseruit, qui ἀπολλῶν, hoc est, solus, siue ἀπλὸς, idest, simplex esset; nempe qui a nullo principium duceret. Nec me piget rẽ eandẽ diluciditatis ergo sępius dicere. NIC. *Nec nos audire.* BAR. *Duæ sunt propriæ philosophorũ uoces, quibus rerũ uirtus ac uitiũ significantur, actus & potẽtia. Actus dicit rem esse, potentia posse eße. ideoq; imperfectionis est nota, quod ab entis natura absit. Itaq; Deus, cuius nomen est, Qui est, iure etiam actus nomine appellatur: atq; is actus, qui nullius rei nouam unquam rationem accipiat; quia simplex est, nec ullius rei accessione, decessioneue*

immutari,

immutari, aut se ipso minor maiorue fieri potest. Nec me latet Aristotelem intelligentias a materia seiunctas actus uocasse, quod nouum actum omnino nullum recipiant: sed tamen illae ortum habent, definitamq; uirtutem. Dei *uero uirtus a nullo principio deriuatur, neq; ullis terminis definitur. Potis enim est* Deus *res plures & praestantiores creare his, quas produxit: etsi Aristoteles tantam diuino numini uirtutem nunquam tribuit. Igitur* Deus *bonus est, quia est; neq; aliud esse potest ab eo, quod iam est, quando est omnia; neq; potest a se aliud uelle, quoniam summum bonum est, seq; talem esse intelligit, intuetur, & amat. Qualem enim se esse uult, talis est; qualis autem est, talem se uult; ac facit penitus quae uult. Nec facit, aut uult, nisi quae fieri decet, & necesse est. Nam ipse summum decorum est, summaq; necessitas. quippe aliter esse ac uult, aut intelligit, minime potest. Verum summae necessitati nulla praeest necessitas. Quocirca* Deus *esse describitur certa quadā subsistēdi nulla ui coacta necessitas. Sed fortasse euagari a proposito uideor: nihilominus quae ad explicandam* Dei *naturā afferuntur, ita coniuncta atq; inter se connexa sunt, ut sese cuncta mutuo consequantur. Tendunt autem eo, quae dixi, omnia, ut probemus* Deū *bonū esse, uidelicet omni ratione perfectū: cui nullius rei perfectio desit, quoniam*

est

est actus purus, simplex, sempiternũq; principiũ. Quinimmo quia solus a se bonus est, apud euãgelistam Lucã legimus ex Christi sentẽtia nõ esse nisi eũ solũ bonũ. NIC. *Nobis a re nihil eorũ, quæ dixti, abhorrere uidetur: et subtilitate sua cũcta nos mirifice delectarũt.* BAR. *Probat uero etiã Dionysius Areopagita* Deum *bonũ esse a propria boni potestate sic. Boni uis & conditio est, ut sese alijs communicet, & quasi diffundat. Ac latius manat bonum, quam malum. Nam malum ne intelligitur quidem absq; bono. est enim boni priuatio. bonum uero sine ullius cõplexione & adhęsione mali eße & cogitari potest. Atqui* Deus *multis se modis, quas genuit, rebus communicauit. Primum eis dedit ut essent, singulisq; uim suã distinctam ab alijs inseruit. Qua ratione Deus in omnibus rebus ineße dicitur: quoniam rerũ omnium natura ex eius essentia existit.* Deinde *ijs, quos participes rationis effecit, se se cognoscendum proposuit. Puris uero ac castis mẽtibus, quas in societatem suam uocauit, etiam uidendum & fruendum prębuit. Quod autem mortale corpus assumpserit, & naturam humanam cum diuina in una eademq; persona copulauerit, ut a diaboli seruitute humanum genus seruata iustitiae dignitate liberaret, qualis ac quantae bonitatis argumentum putas? Cum enim Adam primus hominum parens in* Deum *peccasset ab eius edicto recedendo,*

cedendo, eodem criminali scelere uniuersum genus humanum obstrinxerat. Nec pro delicto quisquam ex se potis erat diuinae maiestati satisfacere, quod amplitudine potentiae par & aequalis Deo *non eßet. Siquidem offensae pro iustitiae munere debet aequa eße pœnae solutio. Itaq;* Deus *pro incredibili sua sapientia & immensa bonitate, ne omnes misere periremus, & iustitiae ius seruaretur,* Dei *atq; hominis rationem habẽs hanc maxime opportunam uiam pro nobis soluẽdi pœnam iniuit, ut ipse, qui solus poßet, homo, qui deberet satisfacere, fieret modo, quem nulla mẽs nec humana, nec angelica effari poteſt.* MER. *Equidem nullũ diuinae in nos benignitatis et clementiae indicium maius hoc eße arbitror.* BAR. *Merito. quia nullum est in nos* Dei *hoc beneficio maius. Sapienter igitur Plato bonum* Deum *patrem appellat: quia bonitatis natura, perinde ut efficientis causae conditio est, sese, ac uim suam alijs impartiri.* NIC. *At nõnulli o Barbane existimant hũc, quem modo nominasti, Platonem intelligentia percepisse in mundo* Deum *esse patrẽ, &* Deum *filium ea, qua nos ratione a Christo persuasi credimus.* BAR. *Irridendi Nicolae sunt ij, qui ea, quae nobis a* Deo *tradita sunt, ac cœlesti munere persuasa, censent humana mente & sapientia percipi poße. Quae tum enim fides esset, si ea, quae diuine credimus, ratione attingeremus?*

mus? Nec parum certe mecum ipse illorum deliramenta soleo interdum irridere, qui poëtarum uanis figmentis christianæ fidei documenta inuoluunt, ac diuinis scriptis et exemplis rebus cõmentitijs authoritatem tribuunt. Sed cœptũ iter pergamus: & ab his rebus, quas procreauit, etiam probemus Deum *bonum esse.* NIC. *Bene est.* BAR. *Si uniuersae res effectae a Deo bonae sunt, quia sunt, ac certo modo specie & ordine cõstant, non potest illarum author & procreator non bonus esse; atq; hoc certe melior, quo efficiens causa his, quae a se fiunt, uirtute prestantior est. Ac postremo sacra scripta ualere satis apud nos debent, quibus &* Deus, *& eius opera bona esse perhibentur.* NIC. *Satis & scripto, & argumentis planum fecisti* Deum *bonum esse. Quae res licet nihil dubitationis haberet, tamẽ pro disputationis ratione confirmanda fuit. Nunc proba eundem esse summum bonum.* BAR. *Attende, quod alias te monitum uolui, nõ idcirco dici* Deũ *summum bonum, quod bonitate ceteris antecellat; ac si eius numen cum aliarum rerum natu ris componatur: quae statim ipsa collatione infirmantur, ac uelut stellae ad radium solis, sic ad diuinae uirtutis prestantiam nullae apparent. Quã enim potest finitum ad infinitum proportionẽ cõparationemue habere? Atq; ut terrae magnitudo cum amplitudine cœli, ad cuius complexũ (ut docent,*

docent mathematici) quasi puncti instar obtinet, conferri nequit, sic procreatae res uim nullam habent, qua cum procreatore suo comparentur. Quapropter Christus homines bonos ad diuini numinis bonitatem apud euangelistã Matthæũ malos appellat, Vos cum sitis inquiens mali, nostis bona data dare filijs uestris, quãto magis pater uester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Sed Deum summum bonum uocamus, quod absolute sit, atq; omni ratione ex se perfectissimus. Res effectae a Deo ipsae inter se componuntur, atq; ingenitarum collatione uirtutum bonae, melioresue iudicantur; ac prestabiliores habẽtur, quae maiorem diuinae bonitatis similitudinẽ gerunt. Velim autem mihi fas esse nonnullas earũ, quas ante attuli, rationes reposcere: quibus probem Deum esse summum bonum. NIC *Reposce quas uis.* BAR. *Sumo autem primum illam, qua Deum ostendimus esse bonum, quia est (ut philosophi loquuntur) actus purus. Qua etiã efficio esse summum bonum. Nam si est actus purus, ergo absolute perfectus. Nã si aliquid aliũde acciperet, non foret profecto tunc purus, sed admixtus potentiae actus. Tum purus ac simplex actus infinitae perfectionis est: nullum igitur habet bonitatis extremum. Quare cum nullis terminis diuina uirtus circumscribatur, infinite & summe bonus est Deus. Adhoc nihil us-*

quam est entis, quod in Deo non sit: ergo nihil etiam est boni, quod ab eo absit. Nam satis alias probatum est ens ac bonum re inter se conuenire. Cum autem summum bonum dico, id intelligi uolo, quod uniuersa bona complectitur. Hinc Deus, cuius nomẽ in sacris libris esse traditur, Qui est, idem in ijsdem Omne bonum uocatur; quod in diuina natura omnis bonitatis ratio insit. Praeterea bonitas Dei ipsiusmet natura est, non res ulla eius attributa naturae. quoniã propter eius admirabilem simplicitatem quicquid in Deo est ipsemet Deus est. Itaq; nec maior, nec minor fieri diuina bonitas potest, nec ullius mali susceptione corrũpi. Nam substantia philosophorum sententia nec rem pugnantis generis admittit, & augeri minuiue non potest. Cum igitur diuinae naturae nihil addi possit, neq; eius bonitas intendi, remittiue queat, merito Deum bonum, ac summe bonum esse affirmamus. Nec certe cum bonum simpliciter dicimus, nullum aliud nomen adijciendo, rem aliam, quam Deum intelligimus; qui simpliciter bonum nominatur: ita ut cum reliqua adiectiue bona, solus Deus substantiue dicatur; atq; in nobis bonitas naturae proprietas, in Deo ipsius natura sit. Quare summum bonum idem est, quod ipsum bonum. Sed haec satis tum explicuimus, cum bonum in suas partes & genera partiti sumus. At probare adhuc idem licet a naturae

simpli-

ſimplicitate. NIC. *Age. audimus.* BAR. *Deus eſt actus purus.* NIC. *Sic eſt.* BAR. *Et infinitae uirtutis*. NIC. *Sic eſt.* BAR. *nec ab alio ſibi cõmunicatae*. NIC. *Sic eſt.* BAR. *Quare eſt ſimplex.* NIC. *Hoc etiam dandũ.* BAR. *Nã ſi ſimplex non eßet, aut ex materia & forma eius natura, aut ex partibus eius magnitudo componeretur. Itaq; partem alteram altera præſtantiorẽ haberet. Forma enim materia nobilior eſt; & corpus amplius membris. Ex quo quia uirtutis actuoſae expers materia eſt, hac ipſa ratione multa agere non poſſet; nec beatiſſimus eſſe, quia ſe toto ubiq; non frueretur. Verum longiorẽ hac de re diſputationem in præſens ſuſcipi non decet. Das igitur Deum ſimplicem eſſe?* NIC. *Do ſane.* BAR. *At ſi das ſimplicem, dabis etiam perfectiſſimum eſſe. Nã quod alterius rei participatione componitur, per ſe bonum eße nõ dixeris; nec illam eſſe ſummam bonitatẽ, quae alterius rei adiunctione abſoluitur. Nam aut illa res altera mala ſit neceſſe eſt, aut non hæc ſumme bona exiſtimanda, ſi extra eius terminos boni aliquid reperiatur. Poteſt ne bonum dici, aut cogitari extra bonitatem? aut poteſt ſummum bonum eſſe, quod uniuerſam bonitatem non complectatur? Et quidem res uniuerſas in ſuo quaſque genere ad unum aliquod indiuiduum, tanquam caput, quod dirimi diſtrahiq; non poſſit, referri uidemus: ex cuius*

 ſimpli-

simplicitate existunt: uelut geometriae dimensiones ad punctum, numeri ad unitatem, motus tẽpusq; ad momentum referuntur. Ac ni simplex esset principium, in ea divideretur, e quibus cõponitur: nec principium uocaretur, cum non ex se, sed ab alio pendeat. Quid autẽ uere simplex in uniuerso est præter Deum? qui principiũ aliũ-ad non ducit? qui nulla re componitur? qui in se ipso uim habet subsistendi atq; necessitatem? qui se ipso contentus, se ipsum tantum inspicit contẽplatur & colit? Mox cuiusq; rerum generis principium omnia uirtutum genera cõtinet, quae rebus insunt a se productis. exempli causa, Sol habet omnes lumins gradus, qui in lucidis corporibus, quorum princeps est, cernuntur. et erit in fonte bonitatis quicquid boni in alijs rebus elucet. Atq; ut idearum prima est omnium perfectissima, (neq; enim cẽseretur prima, nisi cũctis absolutione præstaret) sic primum & summũ bonum omni bonitate prędituin est. Vocamus autem summũ id, cuius communicatione cetera existunt. Proinde bonum uniuersale Deum, *reliqua bona singularia uocauimus. quoniam numinis diuini bonitas uniuersam boni rationem & naturam comprehendit; reliquae uero res certa quadam bonitate affectae sunt. Aut quae obsecro uirtus cuipiam rei tribuitur, ut potentia, ut sapientia, ut æquitas & clementia, quae de* Deo *non honori-*

ficentissime

ficentissime prædicetur: Hinc doctrinarum inuentores poëtae uariys nominibus Deum appellauerunt, quoniam eius uirtus multis modis in rebus a se effectis cerneretur. NIC. *Quibusnam obsecro nominibus?* BAR. *Nam, quod omnia sine labore & periculo nulla re impediente producat, ἱμαρμένον; quod producta suo queq; termino fineq; concludat; πεπρωμένον; quod cunctis rebus uim cuiq; suam impertiatur, μοῖρα; & a distribuendo νέμεσις, atq; ἀδραστεία; ab immutabilitate et æternitate αἶσα; a iuuando a latinis Iupiter; & a ζῆν, quod uitā donat, est a Pelasgis nominatus Ζεὺς. Hinc habitus est pater hominū & Deorum, moderator astrorū, fulminū præses, et noctis, et diei, & regionū, & ciuitatū, & salutis, & libertatis, & amicitiae, & societatis, &, ne singula commemorem, tum eorū, quae in cælis, tum eorū, quæ in terris & sunt, et generantur, omniū cognomēta sortitus est, quod rerū omnium formas rationesq; cōtineat. Sed in hoc formarū quasi cāpo excurrere nobiscū parūper uelim. Inde enim planius intelligetis Deum esse summū bonum, cum esse omnia demonstrabitur.* NIC. *Et interdum euagari iucundum est.* BAR. *Nihil recte & cum ratione a quoquam fit, a quo forma operis mente prius concepta non est. Formam siue speciem appello, quam greci ideam uocant. Nam semper ad ideae similitudinem, quam animo effictā habet, artifex*

opus, quod molitur, effingit. Vnde & ueteris philosophiae, & christianae theologiae professores in Deo sapientissimo mundi opifice & architecto rerum omnium formas inesse aßeruerunt: ad quarum similitudinẽ uniuersa procreauerit. Ni forte amens quispiam mundum temere cõpositum opinetur; nullamq; opificij sui rationem Deum habuisse: quo nemo prudentior & sapientior est. Etenim Deus in diuinitatis suae pulchritudinem intuens, sui similem mundum mente concepit, &, quasi Iupiter ille apud poëtas Palladem e cerebro fœcunditatis suae prolem, fabricando illum produxit: in quo diuersarum rerum figurae admirabilem Dei uirtutem, & præstantẽ eius excellentemq; naturam exprimunt. Quae ideae non sunt in Deo (nec sane a nostris philosophis usurpata uerba refugiam) accidentales: nam primũ agẽs, cui subiecta sunt omnia, subiecti conditionem habere nõ potest, ut aduentitijs formis atq; extrinsecus iniectis afficiatur. nec per se sunt essentiales. una enim est Dei simplicissimaq; natura. sed ipsamet diuinitas sunt. Atq; ut figurae in prima materia naturales sunt, sic rerum ideae in Deo substantiales. Siquidem effectum & formam sua quaeq; causa concludit. Itaq; Deus cuncta esse dicitur, quatenus rerum ideae in ipso sunt essentiales, ipsa inquam natura diuina: at quae extra diuinum animum res sunt, sunt quędam diuinae na-

turae

turae simulachra.

Quapropter ab Orpheo dictus est

Ζεὺς εἶδος πάντων. *Nec inepte poëta ille inquit.*

Iuppiter est quodcunq; uides.

Qua etiã ratione priscos illos forte adductos existimo, ut terram, solem, lunam, mũdum postremo ipsum Deum esse crediderint: quod omnia in Deo Deus sint; extra Deum eius imagines. Nec diuinae rerum ideae natura, sed operũ ratione inter se distinguuntur; ne Deus naturæ necessitate, non libera uoluntate res neq; plures neq; pauciores ijs, quas effecit, concipere posse & explicare censeatur. Nam ubi naturae certus est modus, ibi est uis efficiendi naturalis. Ac profecto longe clarius in Deo, quã in hoc orbe res, speciesq; rerum apparent: in quo distinctae nudae & apertae, quippe ab omni concretione separatae, cernuntur. Itaq; Deus uno intuitu res omnes cernit, dum se ipsum intuetur. Quod si in Deo sunt omnium rerum formae; quoniam rerum omnium forma & modus est; & omnium quoq; rerum uirtutes in eo inerunt. quandoquidem omnis est a forma perfectio. NIC. *Nobis uehementer arrisit breuis ista de ideis disputatio: quae nihilum sane a proposito aliena fuit.* BAR. *Mihi eam attingere creatarum perfectionum ratio suasit. Iam, ut*

propositum sequar, Deum summum bonum esse finis ratio et natura ostendet. Equidem summū aliquid uocamus, uel quia principium est, uel quia finis. Vtrunq; enim extremum est. Et bonum modo efficiens causa est, qua se ratione diffundit, facitq; aliquid; modo finis, quatenus expetitur, eiusq; gratia aliquid fit. Atqui Deus omnium rerum principium est, & finis; tum etiam bonus est: summum igitur bonum est. Neq; enim Deus est forma siue affectio rerum (quamuis omnium rerum ideae in ipso sint) nec materia, ex qua fiat. non enim diuidi aut componi potest: sed causa efficiens, & finis. Quinimmo efficientium causarum omnium prima & perfectissima; quia nulli subijcitur, nulliusq; uirtute mouetur. Quod autē prima sit, & perfectissima omniū rerū causa, multis iam argumētis ostensum est. Quare probandū restat eundem esse finem & extremum. NIC. Agesis. BAR. Eiusdem uis est efficere, atq; perficere: atqui ab uno Deo cuncta efficiuntur: ab eodem igitur perficiuntur. Tendunt enim eo, unde profecta sunt, omnia: & eiusdem rei finis idest, cuius est principium. Enimuero Deus quia summe bonus est, bene ad bonum omnia direxit, quae peperit in se ipsum cuncta reducendo. Atq; ut riuorum omnis est a fonte deductio, sic omnium bonorum est a summo bono deriuatio. Ac uelut amnes omnes ad Oceanū, a quo initium capiunt, refluunt,

refluunt, sic a quo proficiscuntur, in Deum omnia reuocantur. Equidem si Deus non propter se, sed alterius gratia rerum uniuersitatem effecisset, non ex se, sed ab altero aptus esset: nec esset ipse principium rerum, sed illud alterum, a quo penderet. Quam rem nefas est cogitare. Porro finis & bonum re non separantur. Igitur si aliud quam se Deus amaret, non utiq; bona omnia haberet. Non enim recte quis ea re frui dicitur quam expetit. Nam quod expetitur absens est. Est enim expetere optare quod adesse uelimus. At frui est præsente bono gaudere. Verum extra Deum nullum bonum est. Ergo Deus omnia sui gratia effecit. Quod scriptum in prouerbijs sacris legimus, Omnia propter semet ipsum operatus est Deus: & Boëtius egregie illis uersibus expressit,

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus; uerum insita summi
Forma boni, liuore carens.

Vides ne tu obsecro cuncta in Dei unitate implicata & constricta inter se teneri? explicata in ueritate spectari? effusa per bonitatem cerni? ac per eandem rursus bonitatem in sui originem reflecti? per ueritatem reformari? atq;

in unum postremo per unitatẽ restitui? Itaque uir sapientissimus Orpheus illud optime de Deo cecinit.

παντογενέθλ᾽ ἀρχὴ πάντων, παντῶν τε τελευτή.

Et pleriq; uiri doctissimi docuerunt Deum globo similem esse: in quo cum initio finis coniungitur, atq; idem est ambitus longitudinis ac latitudinis, eademq; summi profundiq; dimensio. Sed quid hominum authoritates sequimur? Deum de se ipsum loquentem audite, Ego sum α, & ω, primus & nouissimus, principiũ & finis. MER. *Rem aptius, quam ipsiusmet Dei uoce concludere nõ poteras.* BAR. *Hoc ipsum argumentum satis ualet ad probandum unum eße Deum contra gentium falsas opiniones & errores. Sed haud scio an uobis superuacaneũ uideatur modò id agere.* MER. *Minime quidem.* BAR. *Non tamen disputabo cõtra Protagoram, Theodorum cyrenensem, Euemenum thegeatem, Diagoram milesium, compluresq; alios, quos græci ἄθεοι appellarunt, negantes in mundo ullum esse Deum. Nam ij neq; ullum principium rerum concedunt, & in tanto rerum ordine omnem prouidentiam tollunt: insipientes porro homines, nec rerum causas inuestigantes, nec aduertentes tantas rerũ uicissitudines & ordines nisi a cœlesti aliquo numine moueri nõ posse. Quam rem Aristoteles bene contemplatus*

naturae

naturae opera dixit eße ab intelligentia non erran-te. Quam diuinam intelligentiam Orpheus πρωτόγονον uocitauit: quae primo genita a Deo res uniuersas usq; gubernat. Sed contra Crysippum, Varronem, Democritum, Xenocratem, Perseum auditorem Zenonis, aliosq; uanae religionis authores innumerabilem Deorum multitudinem statuentes disputabo. Nec illis obijciam Deorũ suorum ortus & interitus, & ex immortalibus mortales generatos, non intemperantes cupiditates atq; libidines, non adulteria nefariosq; concubitus, non furta, non odia, non dissensiones atq; discordias, non lamentationes & querelas, nõ bella & pugnas, non cędes & uulnera; quae uel in ipsis mortalibus audire et cogitare turpe esset; sed interrogabo an omnium deorum eadem omnino uis & natura sit, an diuersa? Si eadem; tunc non plures dij, sed unus erit deus; quia penitus una eademq; natura constant: solum personis discernentur: sicut nosmet religionis christianæ documentis instituti unum Deum ueneramur, quia una diuinitas est; sed ipsam unam diuinam naturam tribus personis inesse credimus. At illi tantum lumen uidere nequiuerunt: sed natura inter se discrepare dicent. Atq; ego ab illis tum quæram, an quia plures dij sint natura differentes, ideo putent rerum esse plura principia? Sane, si philosophi sunt, plura quam unum principiũ esse nega-

negabunt. Ergo unum esse Deum necessario confitebuntur. Siquidem apud omnes confessum est Deum esse rerum principium. Quod si plura principia eßent, quo pacto tanto rerum ordine & uicissitudine, tantaq; inter se tẽperatione res uniuersae consisterent? Posset ne una eademq; æterna lege & immutabili rerum uniuersitas regi & conseruari, si plures opifices & moderatores essent uiribus impares, & opinionibus inter se discrepantes? Tum sicut unum rerum principium est; sic etiam finis est unus. Quod si plures dij, sunt etiam plura rerum extrema. Itaq; perturbetur ordo rerum necesse est; cum non ad unum finem, sed in diuersa extrema res distrahantur. Valeat igitur illa Homeri sententia,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

At forte cum Antisthene unũ esse dixerint naturalem Deum, qui a se ipso, nulla ex re alia originẽ ducat, reliquos populares, alios ex alijs generatos. Itaq; unus erit optimus & maximus Deus. Si cuiusq; rei suus est finis, sua inquam in suo genere absolutio, etiam erit omnium rerum commune quoddam extremum, quod in uniuerso optimum & præstantissimum sit. Deus autem modis omnibus cunctis rebus excellit uniuersitatis moderator & author. Quare ut totius exercitus ratio ad ducis utilitatem, sic totius mundi

perfe-

perfectio ad opificis sui uirtutem spectat. Ex quo illud sequitur probandum, quod tertio loco proposuimus, Deum ab omnibus expeti. NIC. *Egregie uenis ad id, quod uis.* BAR. *Aduerte autem primum non solum amari* Deum *ideo, quia tribuit unicuiq;, quod cuiusq; naturae aptum & conueniens est; uerum etiam quia perfectio uniuscuiusq; rei quaedam est numinis diuini communicatio. Quo pacto non potest Deus non amari, cum sua a quoq; perfectio expetatur. Adhoc* Deus *est supremus uniuersitatis finis: atqui medij fines mouere appetitum absq; ultimi imperio & uirtute non possunt: non secus ac secundae efficientes causae sine principalis potestate nihil queunt efficere. Quare nullum bonum expetitur, quin non etiam summum bonum expetatur: ueluti nihil facit proxima causa, quod non etiam prima efficiat.* NIC. *At non omnes res Deum cognoscunt.* BAR. *Esto. nam ex omnibus creatis rebus sola mens potest illum intelligere, cuius imago est. Vnde hoc dabis necessario* Deum *a mente amari, a qua summũ bonũ esse cognoscitur.* NIC. Ita *sane.* BAR. *Concedes etiam ab his, quae mente carent, expeti nõ solum ante dictis argumentis commotus, sed etiam mundi primarij motoris ratione persuasus.* NIC. *Isthanc rationem fac quaeso planam.* BAR. *Facio. Res, quae rationis expertes sunt, se quidem ipsae*

non mouent, sed insito quodam a natura instinctu feruntur. Feruntur autem semper ad uniuersi finem, si non ab ipsis pręceptum, at a primo orbis motore uel natura comprębensum; quae semper uniuersi bonum respicit. Nec ulla res est, quæ uel ad utilitatem, uel ad ornatũ mundi nõ faciat. Mũdus uero diuinae potentiae, sapientiae, ac bonitatis speciem gerit. Aut quid ineptius dici potest, quam principem causam negligi a rebus a se effectis, cum eius uirtute in suo quæq; genere saluae incolumesq; seruentur? Quamobrem naturaliter res omnes Deum, ut summum bonum, desiderant: ac quædam si non expresse, at saltem obscure, si non a se, at a primo orbis motore instructae, si non intelligentiae ui, at certè naturae habitu commotae. An quid amplius hic addubitas? NIC. *Non dubito in suo genere perfectionem a quauis re naturaliter expeti, sed quia de homine loquimur, quem* Dei *præsentia beatum facit, hoc mihi dubium occurrit. An facultas uidendi Deũ homini insit a natura, hoc est, an homo uim aliquam habeat naturalem, qua* Deum *uideat?* BAR. *Non inepte in eo dubitas, in quo uel inter doctissimorum hominum sententias cõtrouersia est. Sed inprimis uolo sententiam meã sacrorum scriptorum sententijs fulcire: quae omni ratione ab hominibus excogitata & argumentis potiores sunt. Ioannes euangelista diuino numine*

præ ceteris afflatus nos in cœlis Deum, sicuti est, uisuros affirmat. Diuus etiam Matthęus rerum a Christo gestarum pronuntiator illustris Deum a mundis corde uidendum asserit. Et apostolus Paulus, cuius diuinis monumētis christianae fidei authoritas maxime innititur, Deum hic in terris in ænigmate, illic in cœlis facie ad faciem uidendum ad Corinthios scribit. Potest igitur uideri, si aliquando uidebitur. Negare uero quod aliquādo uideatur, est diuinis scriptis repugnare. Quod gręcorum aliqui male ausi sunt facere, concilio Florentino hæresis crimine damnati. Ac quod dicimus, his etiā argumentis probatur. Animus ad percipiendam obiectae sibi rei speciem potest a se uirtutem suam intendere. atqui Deus, qua ratione est, menti intelligendus obijcitur. Tum non minor est intelligentiae uis, quā uoluntatis: at uoluntas aperte ui sua fertur ad amandum Deum: ergo & ad intelligendum intelligentia. Non autem plane Deum cognoscimus, si non illius faciem intuemur. Præterea natura mendax & uana nō est, a qua omnis temeritas abest. Quod si nos natura hoc desiderio affecit, ut efficientem causam percipere uelimus, cuius res effectas cognoscimus, certe perspectis uniuersi rebus, earū opificē contemplari naturaliter optamus. Cōsequens igitur est a nobis Deum posse uideri, si eius uidendi desiderium natura in nobis ingenuit. Profecto

si cerni Deum a nobis nefas esset, horum alterum sequeretur, aut humanae uitae finem in Deo constitutum non esse, aut attingi non posse. utrunq; rationi dissentaneum. Nam clarum est Deum esse hominis summum bonum. Neq; hæc nostra disputatio aliud agit, quam ut probet hominum felicitatẽ solo diuini numinis aspectu terminari. quippe absolute perficimur, quando coniungimur cum eo, a quo sumus. Atqui naturae nostrae author & parens est Deus, pater (ut ille canit poëta) hominumq;, Deumq;. Coniungimur autẽ intelligentia, & amore. Siquidem intelligentia formã induit rei, quã percipit, & uoluntas similis fit rei, qua fruitur. Itaq; beati, quos Deus in regnum suum asciuit, quoniam illius speciem gerunt, sunt, & appellantur Dij. Qui quidem finis si contingi nõ poßet, frustra ad eum omnia referremus. Referimus autem uel ipsa maxime instigante natura: quae falli & decipi nequit. Poteſt igitur mens nostra Deũ uidere, quae pręceteris rebus illi quam simillima est. NIC. *At fortaße contra te nonnulli sacrae scripturae testimonia intendent: quæ Deũ posse ab homine uideri negant.* BAR. *Quae?* NIC. *Primum apostolus Paulus ad Timotheum scribit Deũ inuisibilem esse: ideq; ait Deum habitare lucem inacceßibilem; quam nullus homo uidit, sed nec uidere potest. Et Ioannes euangelista inquit, neminem unquam Deum uidisse.*

uidiße. BAR. Ad ista facile possumus ex doctissimorum hominum sententijs respondere, quod in huius imbecillis fragilisq; uitae statu Deus nec oculorum sensu cerni, quia corpus non est, nec ulla plane ratione intelligi queat, quae solũ ex rerum effectarũ conditione & natura ducitur: quarum nulla principẽ causã uirtute adęquat. Quin etiã in cœlis (si ad felicis illius uitae statũ referre Ioãnis Pauliq; dicta uelimus, ubi facie ad faciẽ Deus uidetur) nunquã ita cerni potest, ut totã eius formã ullius mentis acies usquequaq; despiciat. Ideoq; incomprehensus dicitur, quoniam a nullo totus, nisi a se solo comprehẽditur. NIC. Praeclare. BAR. Nunc quod a principio quęrebas discutiamus; uidelicet an hoc homini a naturali facultate, an solum ex diuino munere pręter naturae suae uim & conditionẽ accidat, ut Deũ uideat? NIC. Viam me sane recta & opportuna quo intendimus perducis. BAR. Diuus Augustinus insigne christianae ecclesiae decus facultatem uidendi Deum in nobis quidem innatã esse a natura, sed nos absq; diuino lumine in aeternitatis solẽ intueri non posse, his uerbis dicit: Posse habere fidem & charitatem naturae est hominum, habere autem fidẽ et charitatẽ gratiae est fideliũ. Nam si Deus sub aspectum mentis nostrae cadit, est profecto uirtus in animo naturalis, qua nati apti sumus Deum aspectu mentis percipere: Verum

simplicitate existunt: uelut geometriae dimensiones ad punctum, numeri ad unitatem, motus tẽpusq; ad momentum referuntur. Ac ni simplex esset principium, in ea diuideretur, e quibus cõponitur: nec principium uocaretur, cum non ex se, sed ab alio pendeat. Quid autẽ uere simplex in uniuerso est præter Deum? qui principiũ aliũ-ad non ducit? qui nulla re componitur? qui in se ipso uim habet subsistendi atq; necessitatem? qui se ipso contentus, se ipsum tantum inspicit contẽplatur & colit? Mox cuiusq; rerum generis principium omnia uirtutum genera cõtinet, quae rebus insunt a se productis. exempli causa, Sol habet omnes lumins gradus, qui in lucidis corporibus, quorum princeps est, cernuntur. et erit in fonte bonitatis quicquid boni in alijs rebus elucet. Atq; ut idearum prima est omnium perfectissima, (neq; enim cẽseretur prima, nisi cũctis absolutione præstaret) sic primum & summũ bonum omni bonitate prẹditum est. Vocamus autem summũ id, cuius communicatione cetera existunt. Proinde bonum uniuersale Deum, *reliqua bona singularia uocauimus. quoniam numinis diuini bonitas uniuersam boni rationem & naturam comprẹhendit; reliquae uero res certa quadam bonitate affectae sunt. Aut quae obsecro uirtus cuipiam rei tribuitur, ut potentia, ut sapientia, ut æquitas & clementia, quae de* Deo *non honori-*

ficentissime

ficentiſſime prædicetur : Hinc doctrinarum inuentores poëtae varijs nominibus Deum appellauerunt; quoniam eius uirtus multis modis in rebus a ſe effectis cerneretur. NIC. Quibuſnam obſecro nominibus? BAR. Nam, quod omnia ſine labore & periculo nulla re impediente producat, ἱμαρμένην; quod producta ſuo queq; termino fineq; concludat, πεπρωμένον; quod cunctis rebus uim cuiq; ſuam impertiatur, μοῖρα; & a distribuendo νέμεσις, atq; ἀδραστία; ab immutabilitate et æternitate αἶσα; a iuuando a latinis Iupiter; & a vita, quā donat, eſt a Pelaſgis nominatus Ζεὺς. Atq; hic habitus eſt pater hominū & Deorum, moderator aſtrorū, fulminū præſes, et noctis, et diei, & regionū, & ciuitatū, & ſalutis, & libertatis, & amicitiae, & ſocietatis, &, ne ſingula commemorem, tum eorū, quae in cœlis, tum eorū, quæ in terris & ſunt, et generantur, omniū cognomēta ſortitus eſt, quod rerū omnium formas rationesq; cōtineat. Sed in hoc formarū quaſi cāpo excurrere nobiſcū parūper uelim. Inde enim planius intelligetis Deum eſſe ſummū bonum, cum eſſe omnia demonſtrabitur. NIC. Et interdum euagari iucundum eſt. BAR. Nihil recte & cum ratione a quoquam fit, a quo formam operis mente prius concepta non eſt. Formam ſiue ſpeciem appello, quam greci ideam uocant. Nam ſemper ad ideae ſimilitudinem, quam animo effictā habet, artifex

opus, quod molitur, effingit. Vnde & ueteris philosophiae, & christianae theologiae professores in Deo sapientissimo mundi opifice & architecto rerum omnium formas inesse aßeruerunt: ad quarum similitudinẽ uniuersa procreauerit. Ni forte amens quispiam mundum temere cõpositum opinetur; nullamq; opificij sui rationem Deum habuisse: quo nemo prudentior & sapientior est. Etenim Deus in diuinitatis suae pulchritudinem intuens, sui similem mundum mente concepit, &, quasi Iupiter ille apud poëtas Palladem e cerebro fœcunditatis suae prolem, fabricando illum produxit: in quo diuersarum rerum figurae admirabilem Dei uirtutem, & præstantẽ eius excellentemq; naturam exprimunt. Quae ideae non sunt in Deo (nec sane a nostris philosophis usurpata uerba refugiam) accidentales. nam primũ agẽs, cui subiecta sunt omnia, subiecti conditionem habere nõ potest, ut aduentitijs formis atq; extrinsecus iniectis afficiatur. nec per se sunt essentiales. una enim est Dei simplicissimaq; natura. sed ipsamet diuinitas sunt. Atq; ut figurae in prima materia naturales sunt, sic rerum ideae in Deo substantiales. Siquidem effectum & formam sua quaeq; causa concludit. Itaq; Deus cuncta esse dicitur, quatenus rerum ideae in ipso sunt essentiales, ipsa inquam natura diuina: at quae extra diuinum animum res sunt, sunt quędam diuinae na-

turae

turae simulachra.

Quapropter ab Orpheo dictus est

Ζεὺς εἶδος πάντων. *Nec inepte poëta ille inquit.*

Iuppiter est quodcunq; uides.

Qua etiã ratione priscos illos forte adductos existimo, ut terram, solem, lunam, mũdum postremo ipsum Deum esse crediderint: quod omnia in Deo Deus sint; extra Deum eius imagines. Nec diuinae rerum ideae natura, sed operũ ratione inter se distinguuntur; ne Deus naturæ necessitate, non libera uoluntate res neq; plures neq; pauciores ijs, quas effecit, concipere posse & explicare censeatur. Nam ubi naturae certus est modus, ibi est uis efficiendi naturalis. Ac profecto longe clarius in Deo, quã in hoc orbe res, speciesq; rerum apparent: in quo distinctae nudae & apertae, quippe ab omni concretione separatae, cernuntur. Itaq; Deus uno intuitu res omnes cernit, dum se ipsum intuetur. Quod si in Deo sunt omnium rerum formae; quoniam rerum omnium forma & modus est; & omnium quoq; rerum uirtutes in eo inerunt. quandoquidem omnis est a forma perfectio. NIC. *Nobis uehementer arrisit breuis ista de ideis disputatio: quae nihilum sane a proposito aliena fuit.* BAR. *Mihi eam attingere creatarum perfectionum ratio suasit. Iam, ut*

propositum sequar, Deum summum bonum esse finis ratio et natura ostendet. Equidem summũ aliquid uocamus, uel quia principium est, uel quia finis. Vtrunq; enim extremum est. Et bonum modo efficiens causa est, qua se ratione diffundit, facitq; aliquid; modo finis, quatenus expetitur, eiusq; gratia aliquid fit. Atqui Deus omnium rerum principium est, & finis; tum etiam bonus est: summum igitur bonum est. Neq; enim Deus est forma siue affectio rerum (quamuis omnium rerum ideae in ipso sint) nec materia, ex qua fiat. non enim diuidi aut componi potest: sed causa efficiens, & finis. Quinimmo efficientium causarum omnium prima & perfectissima; quia nulli subijcitur, nulliusq; uirtute mouetur. Quod autē prima sit, & perfectissima omniũ rerũ causa, multis iam argumẽtis ostensum est. Quare probandũ restat eundem esse finem & extremum. NIC. Agesis. BAR. Eiusdem uis est efficere, atq; perficere: atqui ab uno Deo cuncta efficiuntur: ab eodem igitur perficiuntur. Tendunt enim eo, unde profecta sunt, omnia: & eiusdem rei finis idest, cuius est principium. Enimuero Deus quia summe bonus est, bene ad bonum omnia direxit, quae peperit in se ipsum cuncta reducendo. Atq; ut riuorum omnis est a fonte deductio, sic omnium bonorum est a summo bono deriuatio. Ac uelut amnes omnes ad Oceanũ, a quo initium capiunt,

refluunt,

refluunt, sic a quo proficiscuntur, in Deum omnia reuocantur. Equidem si Deus non propter se, sed alterius gratia rerum uniuersitatem effecisset, non ex se, sed ab altero aptus esset: nec esset ipse principium rerum, sed illud alterum, a quo penderet. Quam rem nefas est cogitare. Porro finis & bonum re non separantur. Igitur si aliud quam se Deus amaret, non utiq; bona omnia haberet. Non enim recte quis ea re frui dicitur quam expetit. Nam quod expetitur absens est. Est enim expetere optare quod adesse uelimus. At frui est præsente bono gaudere. Verum extra Deum nullum bonum est. Ergo Deus omnia sui gratia effecit. Quod scriptum in prouerbijs sacris legimus, Omnia propter semet ipsum operatus est Deus: & Boëtius egregie illis uersibus expressit,

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus; uerum insita summi
Forma boni, liuore carens.

Vides ne tu obsecro cuncta in Dei unitate implicata & constricta inter se teneri? explicata in ueritate spectari? effusa per bonitatem cerni? ac per eandem rursus bonitatem in sui originem reflecti? per ueritatem reformari? atq;

iii

in unum postremo per unitatẽ restitui? Itaque uir sapientissimus Orpheus illud optime de Deo cecinit.

παντογενέθλ᾽ ἀρχὴ πάντων, παντῶν τε τελευτή.

Et pleriq; uiri doctissimi docuerunt Deum globo similem esse: in quo cum initio finis coniungitur, atq; idem est ambitus longitudinis ac latitudinis, eademq; summi profundiq; dimensio. Sed quid hominum authoritates sequimur? Deum de se ipsum loquentem audite, Ego sum α, & ω, primus & nouissimus, principiũ & finis. MER. *Rem approbasti: quam ipsiusmet Dei uoce concludere nõ poteras.* BAR. *Hoc ipsum argumentum satis ualet ad probandum unum esse Deum contra gentium falsas opiniones & errores. Sed haud scio an uobis superuacaneũ uideatur modò id agere.* MER. *Minime quidem.* BAR. *Non tamen disputabo cõtra Protagoram, Theodorum cyrenensem, Euemenum thegeatem, Diagoram milesium, compluresq; alios, quos græci ἀθέους appellarunt, negantes in mundo ullum esse Deum. Nam ij neq; ullum principium rerum concedunt, & in tanto rerum ordine omnem prouidentiam tollunt: insipientes porro homines, nec rerum causas inuestigantes, nec aduertentes tantas rerũ uicissitudines & ordines nisi a cœlesti aliquo numine moueri nõ posse. Quam rem Aristoteles bene contemplatus*

naturae

*naturae opera dixit esse ab intelligentia non erran-
te. Quam diuinam intelligentiam Orpheus* πρωτόγονον *uocitauit: quae primo genita a Deo res
uniuersas usq; gubernat. Sed contra Crysippum,
Varronem, Democritum, Xenocratem, Perseum
auditorem Zenonis, aliosq; uanae religionis au-
thores innumerabilem Deorum multitudinem sta-
tuentes disputabo. Nec illis obijciam Deorū suo-
rum ortus & interitus, & ex immortalibus mor-
tales generatos, non intemperantes cupiditates
atq; libidines, non adulteria nefariosq; concubi-
tus, non furta, non odia, non dissensiones atq; di-
scordias, non lamentationes & querelas, nō bel-
la & pugnas, non cedes & uulnera; quae uel
in ipsis mortalibus audire et cogitare turpe esset;
sed interrogabo an omnium deorum eadem omni-
no uis & natura sit, an diuersa? Si eadem; tunc
non plures dij, sed unus erit deus; quia penitus
una eademq; natura constant: solum personis di-
scernentur: sicut nosmet religionis christianae
documentis instituti unum Deum ueneramur, quia
una diuinitas est; sed ipsam unam diuinam natu-
ram tribus personis inesse credimus. At illi tan-
tum lumen uidere nequiuerunt: sed natura inter
se discrepare dicent. Atq; ego ab illis tum quae-
ram, an quia plures dij sint natura differentes,
ideo putent rerum esse plura principia? Sane, si
philosophi sunt, plura quam unum principiū esse
nega-*

negabunt. Ergo unum esse Deum necessario confitebuntur. Siquidem apud omnes confessum est Deum esse rerum principium. Quod si plura principia essent, quo pacto tanto rerum ordine & uicissitudine, tantaq; inter se tẽperatione res uniuersae consisterent? Posset ne una eademq; æterna lege & immutabili rerum uniuersitas regi & conseruari, si plures opifices & moderatores essent uiribus impares, & opinionibus inter se discrepantes? Tum sicut unum rerum principium est; sic etiam finis est unus. Quod si plures dij, sunt etiam plura rerum extrema. Itaq; perturbetur ordo rerum necesse est; cum non ad unum finem, sed in diuersa extrema res distrahantur. Valeat igitur illa Homeri sententia,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

At forte cum Antisthenes unũ esse dixerint naturalem Deum, qui a se ipso, nulla ex re alia originẽ ducat, reliquos populares, alios ex alijs generatos. Itaq; unus erit optimus & maximus Deus. Si cuiusq; rei suus est finis, sua inquam in suo genere absolutio, etiam erit omnium rerum commune quoddam extremum, quod in uniuerso optimum & præstantissimum sit. Deus autem modis omnibus cunctis rebus excellit uniuersitatis moderator & author. Quare ut totius exercitus ratio ad ducis utilitatem, sic totius mundi perfe-

perfectio ad opificis sui uirtutem spectat. Ex *quo illud sequitur probandum, quod tertio loco proposuimus, Deum ab omnibus expeti.* NIC. *Egregie uenis ad id, quod uis.* BAR. *Aduerte autem primum non solum amari* Deum *ideo, quia tribuit unicuiq; , quod cuiusq; naturae aptum & conueniens est; uerum etiam quia perfectio uniuscuiusq; rei quædam est numinis diuini communicatio. Quo pacto non potest* Deus *non amari, cum sua a quoq; perfectio expetatur. Adhoc* Deus *est supremus uniuersitatis finis : atqui medij fines mouere appetitum absq; ultimi imperio & uirtute non possunt: non secus ac secundae efficientes causae sine principalis potestate nihil queunt efficere. Quare nullum bonum expetitur, quin non etiam summum bonum expetatur : ueluti nihil facit proxima causa, quod non etiam prima efficiat.* NIC. *At non omnes res Deum cognoscunt.* BAR. *Esto.* nam *ex omnibus creatis rebus sola mens potest illum intelligere, cuius imago est. Vnde hoc dabis necessario* Deum *a mente amari, a qua summū bonū esse cognoscitur.* NIC. Ita *sane.* BAR. *Concedes etiam ab his, quæ mente carent, expeti nō solum ante dictis argumentis commotus, sed etiam mundi primarij motoris ratione persuasus.* NIC. *Isthanc rationem fac quæso planam.* BAR. *Facio. Res, quae rationis expertes sunt, se quidem ipsae*

non mouent, sed insito quodam a natura instinctu feruntur. Feruntur autem semper ad uniuersi finem, si non ab ipsis preceptum, at a primo orbis motore uel natura comprehensum; quae semper uniuersi bonum respicit. Nec ulla res est, quae uel ad utilitatem, uel ad ornatũ mundi nõ faciat. Mũdus uero diuinae potentiae, sapientiae, ac bonitatis speciem gerit. Aut quid ineptius dici potest, quam principem causam negligi a rebus a se effectis, cum eius uirtute in suo quaeq; genere saluae incolumesq; seruentur? Quamobrem naturaliter res omnes Deum, ut summum bonum, desiderant: ac quaedam si non expresse, at saltem obscure, si non a se, at a primo orbis motore instructae, si non intelligentiae ui, at certè naturae habitu commotae. An quid amplius hic addubitas? NIC. *non dubito in suo genere perfectionem a quauis re naturaliter expeti, sed quia de homine loquimur, quem Dei praesentia beatum facit, hoc mihi dubium occurrit. An facultas uidendi Deũ homini insit a natura, hoc est, an homo uim aliquam habeat naturalem, qua Deum uideat?* BAR. *Non inepte in eo dubitas, in quo uel inter doctissimorum hominum sententias cõtrouersia est. Sed inprimis uolo sententiam meã sacrorum scriptorum sententijs fulcire: quae omni ratione ab hominibus excogitata & argumentis potiores sunt. Ioannes euangelista diuino numine* pra

præ ceteris afflatus nos in cœlis Deum, sicuti est, uisuros affirmat. Diuus etiam Matthęus rerum a Christo gestarum pronuntiator illustris Deum a mundis corde uidendum asserit. Et apostolus Paulus, cuius diuinis monumẽtis christianae fidei authoritas maxime innititur, Deum hic in terris in ænigmate, illic in cœlis facie ad faciem uidendum ad Corinthios scribit. Potest igitur uideri, si aliquando uidebitur. Negare uero quod aliquãdo uideatur, est diuinis scriptis repugnare. Quod gręcorum aliqui male ausi sunt facere, concilio Florentino hæresis crimine damnati. Ac quod dicimus, his etiã argumentis probatur. Animus ad percipiendam obiectae sibi rei speciem potest a se uirtutem suam intendere. atqui Deus, qua ratione est, menti intelligendus obijcitur. Tum non minor est intelligentiae uis, quã uoluntatis: at uoluntas aperte ui sua fertur ad amandum Deum: ergo & ad intelligendum intelligentia. Non autem plane Deum cognoscimus, si non illius faciem intuemur. Præterea natura mendax & uana nõ est, a qua omnis temeritas abest. Quod si nos natura hoc desiderio affecit, ut efficientem causam percipere uelimus, cuius res effectas cognoscimus, certe perspectis uniuersi rebus, earũ opificẽ contemplari naturaliter optamus. Cõsequens igitur est a nobis Deum posse uideri, si eius uidendi desiderium natura in nobis ingenuit. Profecto

si cerni

uidiſſe. BAR. Ad iſta facile poſſumus ex doctiſſimorum hominum ſententijs reſpondere, quod in huius imbecillis fragilisq; uitae ſtatu Deus nec oculorum ſenſu cerni, quia corpus non eſt, nec ulla plane ratione intelligi queat, quæ ſolũ ex rerum effectarũ conditione & natura ducitur: quarum nulla principẽ cauſã uirtute adæquat. Quin etiã in cœlis (ſi ad felicis illius uitae ſtatũ referre Ioãnis Pauliq; dicta uelimus, ubi facie ad faciẽ Deus uidetur) nunquã ita cerni poteſt, ut totã eius formã ullius mentis acies uſquequaq; deſpiciat. Ideoq; incomprehenſus dicitur, quoniam a nullo totus, niſi a ſe ſolo comprehẽditur. NIC. Praeclare. BAR. Nunc quod a principio quęrebas diſcutiamus; uidelicet an hoc homini a naturali facultate, an ſolum ex diuino munere preter naturae ſuae uim & conditionẽ accidat, ut Deũ uideat? NIC. Via me ſane recta & opportuna quo intendimus perducis. BAR. Diuus Auguſtinus inſigne chriſtianae eccleſiæ decus facultatem uidendi Deum in nobis quidem innatã eſſe a natura, ſed nos abſq; diuino lumine in æternitatis ſolẽ intueri non poſſe, his uerbis dicit: Poſſe habere fidem & charitatem naturæ eſt hominum, habere autem fidẽ et charitatẽ gratiae eſt fideliũ. Nam ſi Deus ſub aſpectum mentis noſtrae cadit, eſt profecto uirtus in animo naturalis, qua nati apti ſumus Deum aſpectu mentis percipere: Verum

ista uis nunquã in actũ erũperet, si non aliquo cœlesti auxilio subleuaretur: ueluti corporis oculus nisi radijs solis illustratus nunquam obiectas sibi rerum corporearũ species suo sensu perciperet. Et si nos omni facultate cõsequendæ beatitudinis careremus, quomodo Deus salutis nostrae adiutor diceretur? Adiuuat autem humanam facultatem nobiscum fidei & charitatis actiones educendo. Nec Paulus Apostolus ad Corinthios scribens, nõ eße nos ex nobis sufficientes aliquid boni cogitare, negat nos ulla facultate præditos esse, qua res diuinas intelligamus; uerũ eius usum tenuẽ eße, nulliusq; momenti. Sed et dialectice magis ad philosophorũ sententias rẽ istã agitemus. NIC. Vt lubet. BAR. Deus aut est in his, quæ intelligenda menti proponũtur, aut nullo eorũ genere cõtinetur. Si negas esse, tum illud sequetur, Deũ in nostrã intelligentiã non cadere; quoniã extra ea est, quae uidẽdi potestas humanæ menti inest. ueluti oculorũ sensu Deũ cernere nequimus; quia nullam habet earũ rerũ speciẽ, quæ oculis subijciuntur. Sin das, tunc efficietur quod uolumus; inesse nobis a natura potestatem uidendi Deũ: quoniam Deus mẽtis nostrae oculis conspiciendus obijcitur. Tum intelligere & amare Deum sunt ex nostris uirtutibus uitales actus eliciti. (Scis me uirtutes dicere, quas philosophorum uulgus potentias appellat) erunt ergo in nobis eorũ ratione naturales

uirtutes. Praeterea nulla res motu insito a natura fertur, nisi eo, quo a natura apta est peruenire. atqui homo naturali desiderio potiundae cœlestis gloriae tenetur: quandoquidem appetitus noster solum in diuini numinis aspectu conquiescit. ergo a natura uis in nobis est ad uidendum Deum. Vis autem omnis prodire in actum gestit, quem uel a se potest, uel alterius opera praestare. Hinc mens naturali desiderio ad intuendũ Deũ cietur, sed intueri absq; diuino beneficio et lumine haud quidẽ potest. Atq; hoc explicandum restat. NIC. Hoc ipsum expecto. BAR. Appetitus diuinae gloriae in nobis duplici se habet modo. Nam aut instinctu naturae solum mouetur, aut etiam mentis ratiocinationem sequitur: illo, quia nulla scientia regitur, sicuti res ceterae, Deum, ut perfectum cumulatum ac summum uniuersi bonum, latenter atq; obscure petimus; hoc & cognoscimus, & qua cognoscimus, eadem etiam illum ratione diligimus. Cognoscitur autem per nos a nobis solum naturae notis ut causa, ac principium omniũ rerum; non autem ut beatitudinis nostrae author atq; perfector. Non enim animo quidquam cernimus, quod a sensibus non oriatur. Nam mens nostra non intelligit nisi a formis rerum, quae sub sensus cadunt: quippe inclusa corpori non nisi per sensus capit rerum cognitionem; qui tanquam satellites illarum sibi species offerunt. Atqui ea,

quae ad felicitatem nostram comparandam perficiendamq; pertinent, nullis sensibus subijciuntur. Itaq; Deus qua ratione intelligentiam nostrā superat, ut felicitatis humanae architectus & author, dicitur finis hominis supernaturalis; non quod eius consequendi facultas nulla in nobis a natura insit, sed quod hominis intelligentiam uincat, cum nullis naturae argumentis teneatur. Ipsae quoque naturalis uirtutis ad cœlestem beatitudinem actiones non ab ipsa uirtute, sed a diuino afflatu & opera effinguntur. Quare naturalis uirtutis supernaturales sunt actiones & finis.

NIC. Lubenter acquiesco in hoc tuo sermone. Sed qui negant numen diuinum sub aspectū mentis cadere, quibus obsecro rationibus mouētur?

BAR. Ii duobus maxime argumentis hærent. Alterū est, quod fides spes & charitas, quibus uirtutibus beatitudo cōparatur, non sunt habitus naturales, humanae rationi consentanei, sed qualitates a diuino numine animae infusae. Quoniā uero uiæ, quae ad Dei cōspectū nos ducunt, nō a natura propositae, sed a Deo nobis prēmonstratae sunt, facultatem quoq; uidendi Deū a natura nobis ullam tributam esse inficiantur. At quæso natura non ne multarum rerum appetitiones in nobis ingenuit, & opem, qua illarum potiremur, nullam dedit? Prēsto autem nobis est Deus, qui uires nostras sua uirtute confirmet, ita ut quod præstare

*a nobis non ualemus, eius præsente auxilio effi-
ciamus.* NIC. *Intellexi istorum alterum argu-
mentum; cupio alterum audire.* BAR. *Si in nobis
aiunt ulla naturalis facultas inesset Deum animo
cernedi, consequens foret, eum diuinae naturae
apertam cognitionem habiturum; qui hominis na
turam cognosceret. Idq; illis falsum uidetur: mi-
hi non item. Sed nego animae nostrae naturam
omnino posse ab homine perspici: quippe quae
habens cum diuinis mentibus cognationē, naturae
signis atq; uestigijs indagari non potest. Nec du-
bium est, quin si animae nostrae naturā cognosce-
remus, uideremus illam diuini numinis & felici-
tatis capacem esse: intelligeremus etiā modum,
quo beatitudinē capiat. Sed ista nobis omnino ob-
scura sunt. Nec si conditionis nostrae naturalia
principia non ignoramus, idcirco supernaturalem
causam perfectionis nostro ingenio cōsequemur:
ubi diuino lumine opus est.* NIC. *Et quid tu sen-
tentias hac de re, & quid alij opinētur satis intel-
ligo. Nunc illud te rogo, an homo uitam agens
mortalem possit ullo modo diuinum uultum intue-
ri. Nam de Moyse ac Paulo magna ni fallor in-
ter uiros doctos quaestio est; an os diuinum inspe-
xerint; quoniā eos sacris literis Deū uidisse pro-
ditum est; an uero tantū* ἐν αἰνίγμασι. BAR. *Rem
ut istam intelligas, modus animaduertendus est,
quo rerum cognitionem animo capimus. Nam*

Mens nostra, quia corpori coniuncta est, nisi per rerum, quae sub sensus cadunt, species ac uisa, φαντάσματα graeci appellant, nullius rei notitiam habet. Quare Deus, qui omnino a sensu alienus est, hac ratione in nostram intelligentiam nõ uenit. (Scito autem me de clara diuini numinis inspectione loqui.) NIC. *Vtiq;.* BAR. *Hunc intelligendi modum ab homine non auferas, quia innatus illi a natura est, quin etiam a corpore animam dissoluas. Ac sane mens nostra si quo se magis abducit a sensibus, eo melius res a materia separatas percipit; uelut alienati sensu interdũ augurantur, et dormientes futura praesentiunt; profecto ut Deum intelligat simplicem, & solutum, atq; ab omni concretione seiunctum, necesse est ut a mortali corpore segregetur. Itaq; ab ipsomet Deo in Exodo pronunciatum legimus, Non uidebit me homo, & uiuet. Et Ioannes euangelista nullum unquam hominum Deum uidisse attestatur. Qui uero Moysem & Paulum Dei faciem intuitos fuisse affirmant, diuino munere & opera factum id aiunt; ut ab interiori sensu mens (nam ab externo sensu multis modis ut somno, ut morbo, ut etiam nimia cogitatione abducitur) intereadũ lumen diuinum inspiceret; abalienaretur, staretq; contra naturae legem in corpore. Verumtamen nonnulli uidere se negant ullam causam, quamobrem hoc priuilegium Moysi & Paulo potius, quã*

Petro Christi uicario irrogatum sit. Et Euaristus IIII. Pōtifex maximus Moysen tātū ἐν αἰνίγματι, nō autē, sicuti est, Deū uidisse scribit ad Episcopos Africanos. Cuius uerba nō inuitus hic referā. Eam lucē inaccessibilem, quam pater & filius inhabitant, nullus modo nostrum in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri; sed cum apparuerit, tunc eum uere uidebit sicuti est, & non sicut Moyses, ceteriq; prophetae per ænigmata & figuram: sed ipsam ueraciter contuebitur Deitatis imaginem. NIC. At uero Deus num ne etiam sub oculorum sensum in cælis subijcietur? BAR. Quonam obsecro modo Deus, qui spiritus est, corporeis oculis cerni potest? Corpus enim proprias uirtutes circa corpora, ad quae aptum est, exercet. Quod si Deus sub oculorum aspectum caderet, ut D. Augustinus argumentatur, aut corporea res esset & aspectabilis, aut oculorum sensus in naturam mentis & intelligentiae conuerteretur. Non enim uim suā & radios absq; naturae permutatione in res eas cōtenderet, quae ab aspectus iudicio remotae sunt. Atqui nec Deus corpus est, nec oculus in spiritum mutatur. Deus igitur, quia mens est, solum a mente conspicitur. Quanquam nonnulli existimant oculorum sensum diuina uirtute ita informari, ut in deitatis imaginem ualeant intueri. Quod nec ab illis ratione ulla probatur, nec a nobis ullo sacro scripto

redarguit. Ac certe rudes & imperiti homines uim intelligentiae, quae maxima est, ignorantes ad sensuũ iudicia omnia reuocant. Et quidem in terris clausi (ut poeta loquitur) tenebris, & carcere cæco, quandoquidem rerum cognitionem sumimus ex corporũ formis receptis per sensus in animo, minus falli oculorum sensu uidemur: tamen cum rerum naturas apertas & nudas mente cernemus, animaduertemus tunc eo melius res cognosci, quo mens sensu præstãtior est, præsertim cælesti atq; diuino lumine illustrata: quod omnem solis splendorem & claritatem superat. NIC. Sed aueo abste audire modum, quo Deus a nobis uidebitur. BAR. Audies: Atq; explicanda ratio est, quemadmodum alicuius rei cognitio in mente generetur. Cui certe similis est ratio, qua cuiuspiã rei uisio in oculo fit. NIC. Probe. BAR. Primum quidem necesse est adsit res, quae intelligenda menti obijciatur; tum insit menti uirtus, qua rem sibi obiectã accipiat: Cũ uero res obiecta a mente cõcipitur, tunc illius cognitio in animo fit. Non aliter oculis obiectae rei uisio fit, cum eius species in oculorum sensu exprimitur. Non enim res corporea & aspectabilis per se ipsa iungitur cum sensu uidendi, sed sua illũ specie attingit. Non enim lapis ille, qui cernitur, ipse ab oculo cõprehensus tenetur, sed eius species & similitudo. Ceterum nec corpus ullum oculis cerni po-

test, nisi lux solis accedat; nec item ulla res intelligentia uideri; nisi quoddam spiritale lumen affulgeat, quod animae uires confirmet, ac rerum formas illustret. Atq; hoc est, quod modo querimus. Non enim uiā indagamus, quae ad Dei cognitionem ducit; nimirum uti ex procreatarum rerum animaduersione in Dei notitiā deuenimus. etenim ista obscura est, & imperfecta cognitio. nos uero de aperta & distincta cognitione agimus; qua rei natura tanquam ante oculos posita cernitur. Nec ullam figuram inquirimus; in qua expressam Dei imaginem intueamur. Siquidē nulla potest esse eiusmodi, quae Deum exacte, & (ut in prouerbio est) ad unguem referat. quoniam Dei uirtus immensa, creatae uero rei finita est facultas. Quod si mens e nullius corporis figura agnosci potest, quoniam utriusq; dispar est genus; nec Deus a re creata representabitur, qui magis a mente, quam mens a corpore distat. Sed quoniam ad contemplandum deitatis figuram ui sua mens nequit se ipsam erigere, sed diuini numinis ope attollenda est, an præter naturale lumen aliquod aliud a Deo intelligentiae porrigatur, quo illuminata speciē diuini oris aspiciat, hoc est, quod modo quærimus. Tale uero lumen a Deo beatis mentibus preferri ad perspiciendum præstantem suam æternamq; naturā & rationibus docemur, & sacrae scripturae testimonijs erudimur. N 10.

Quibus? BAR. *Si mens humana propria ui nequit* Deum *uidere, aliqua alia uirtute adiute-tur necesse est. Id autem est lumen gloriae. Tum si uoluntas charitate ad amandum* Deum *afficitur, & intelligentia aliqua alia cœlesti qualitate ad illum cognoscendum informetur oportet. Nō autem est fides; quae obscura cognitio est: ergò lumen gloriae. Et si idem Deus, non pari tamen modo a beatis uidetur, quid dabis prȩter hoc lumen, cuius communicatio inæquabilem claritatis portionem efficiat? Nunc scriptorum sacrorū testimonia attende.* NIC. *Attendo.* BAR. *Erit, inquit Esaias, tibi dominus in lucem sempiternā: & Propheta regius, In lumine tuo uidebimus lumen. Quid his uerbis clarius? aut quid amplius addubitabis? Vnde Viennensi concilio contra Scoti opinionem, qui ante hoc tempus fuit, sancitum est, ne quis auderet negare beatae menti ad uidendum Deum gloriae lumen diuinitus præferri. quanquam haud negarim* Deum *summa sua uirtute posse uice luminis aliquo alio modo intelligētiam afficere: sed qui sapientissimus est, cuncta moderate ac suauiter disponit.* NIC. *At quæso quid sit lumen hoc gloriae paucis explica.* BAR. *Lumen gloriae est non* οὐσία *(malo uerbis græcis uti) sed* ποιότης, *siue qualitas spiritalis non ex animae natura educta, sed a* Deo *menti infusa; qua supra uires suas & naturaȩ conditionem*

ad diuini

ad diuini oris prę ſentiam attollitur; nõ ſecus atq; oculorum ſenſus ad ſui muneris functiones a ſpiritu, qui aspectum efficit, adiuuatur. Atq; ut diuinitus iniecti animae uirtutum habitus ad ea munera illam in hac uita comparant, quae sola naturali ui exercere non poßet, ſic gloriae lumen in cœlis mentem ad intuendum Deum ſubleuat & ſuſtentat: quem alioquin ſuo obtutu nunquã inſpiceret. Dicitur autẽ μεταφορικῶς lumen, ab hoc corporeo lumine ſumpta ſimilitudine. Nã ut corporeum lumen res aperit, quae oculorum ſenſui ſubijciuntur, ſic cœleſtis iſta qualitas, quae Deũ menti patefacit, luminis uoce notata eſt. Appellatur uero gloriae lumen, quia in cœlis ex bene acta uita triumphantibus porrigitur. NIC. Intelligo. Sed quo modo Ioannes euãgeliſta nos Deo ſimiles fore inquit? an quia beatus aliquã Dei formam imaginemue concipiat? BAR. Minime id. Non enim oris ſimilitudine Deum exprimemus, ſed conſimili actione imitabimur. quoniã ut Deus ſe ipſum clare uidet, ſic & nos illum manifeſte uidebimus. Quid enim fruſtra speciem ullam effingimus, cum ad uidendum Deum menti gloriae lumẽ ſufficiat? Et natura diuina, non eius ſimilitudo beatae menti coniungitur: nec aspectus ſimilitudo eſt, ſed animae actio. Eſt autem huius luminis in beatis non parilis magnitudo. Quod quia Iouinianus tendi beatis æqualiter contra totius

ecclesiæ sententiam aßeuerauit, hæresis anno a natali die Iesu Christi DCCLXX. concilio Tolensi condemnatus fuit. Equidem Apostolus Paulus ad Corinthios scribit, Qui parce seminat, parce & metet. et, Sicut stella differt a stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Christus etiam (ut refert euangelista Ioannes) In domo patris mei, inquit, mansiones multae sunt. Quid aliud seminum inæquales fructus, & mansionum uariam multitudinem, & astrorum dispares radios significare existimes, quam inæqualem gloriae luminis magnitudinem? quo illustratae beatorum mentes alia alia manifestius Dei naturam deprehendunt. NIC. Quid est obsecro naturam Dei manifestius deprehendere? BAR. Audi. Deus una res est, una inquam simplex natura, & (quod sæpe diximus) infinite perfecta. Eius uarias uirtutes multis rationibus concipimus, & diuersis nominibus ut potentiae, sapientiae, iustitiae, bonitatis designamus. Sed quas in terris aliam post aliam contemplamur, in cælis simul omnes uno aspectu intuebimur. Contuebuntur autem beatorum singuli quae fide præceperant, tum ad naturam diuinam, & personas, tum ad uniuersitatem rerum pertinentia. Alias uero præter has uirtutes quisq; plures aut pauciores cognoscet, prout maiori aut minori luce pro meritorũ ratione perfusus fuerit. Ut quis autẽ omnes Dei uirtu-

tes cõplectatur fieri nõ potest. Ita enim totã Dei naturã conciperet; & quid ipse omnino posset efficere, & quid unquã uellet, intelligẽtia aßequeretur. Meritoq; te irridendo Iob interrogaret, Omnipotentẽ usq; ad perfectum cognosces? Dicimus tamen aliquãdo Deũ a nobis cõprehendi, cũ mentis nostrae intelligentia attingitur. quia tũ animi capacitas expletur. NIC. *Egregie ad qđ quęsiui respondisti.* BAR. *Patet igitur ex his Deũ nõ naturali munere, sed diuino beneficio a nobis uideri. tametsi omnes illius coniunctionem naturali quodam studio desideramus. Nam & primaria uniuersitatis causa est, & res eiusmodi, quae maxime omniũ menti intelligenda obijcitur. Et unaquęq; res eo sese refert, unde prodit; ac principij necessitudinem deposcit, qua fore se incolumem sentit. Itaq; cum demonstratũ sit Deũ esse bonũ, ac summe bonũ, atq; ab humana mente posse apprehendi, nemo dubitare debet in illo finem suum constituere. Nec mihi quisquã obijciat nõ uideri sibi Deũ eße hominis summũ bonũ, quia res ab hominis natura extranea sit. Nã Deus, utpote prima causa, magis intimus est homini, quã homo sibi. Ac licet numẽ diuinũ ab humana cõditione differat, tamen, quia uniuersa bona cõplectitur, solũ potest omnibus bonis hominẽ explere.* NIC. *Effecisti sane quod uolebas Deũ esse summũ, ac maxime expetendũ bonum.* BAR. *Hoc si effeci, quẽ-*

admodũ effeciſſe me arbitror, poſthac nulli de immortalitate animorum dubitandum erit: cum præſertim e nullo eorũ genere oriantur, e quibus quæ finguntur intereunt; & a Deo proxime e nulla re uelut præſente materia generentur. Ideoq; illi natura prae ceteris quã ſimillimi. Quod arguit innatũ nobis a natura deſideriũ, quo in deos euadere cupimus: cũ nimirũ uitæ nominisq; immortalitatem optamus, quaſi præſagientes aliquando nos deos futuros. Alioquin ſi animus noſter immortalis non eſſet, nullum hominis bonum ſtabile & æternum foret: ac fruſtra in diuini numinis neceſſitudine felicitatem noſtrã ſitam eſſe crederemus. Quoniam uero in hac uita nefas eſt nobis Deitatis speciem intueri, ubi uitae muneribus recte & honeſte functi erimus, tunc in cœlum e terris translati iucundiſſimo eius aspectu in æternũ tempus lætabimur. Quare D. Auguſtinus bene inquit, Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. NIC. *Igitur in hac uita dum eſt homo, beatus dici nõ poteſt?* BAR. *Nequaquam. quoniã longe abſumus a deitatis præſentia. Omitto multarum rerum egeſtatem & morbos, in quibus malis quotidie uerſamur; fortunae iniurias, quibus ſemper expoſiti ſumus; perturbationes animi, quibus cõtinuo angimur; uoluntatis inconſtantiam, qua uelut tempeſtate noctes et dies iactamur. Nec ſane beatus*

ullus

ullus habendus est, qui non habet ea, quae uult: aut aliud uult, quam bonum. NIC. *Atqui multi uel in sacris monumentis perhibētur beati.* BAR. *Beati quidem non re, sed spe. Quandoquidem hi, quibus a* Deo *crimina condonata sunt, cœlestis regni hæreditatem sperāt. Qua spe dum gaudēt, beati nominantur. Sic, Beati quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Verū illud quoq; notandum est.* NIC. *Quod istud est?* BAR. *Quod nouissimo die corpus e terra excitabitur (sicut a Iesu Christo nobis persuasum est) & beatae animæ gloria induetur.* NAM *æquū est, ut anima lætitiae suae ac splendoris socium in cœlis corpus habeat, quod laborum comes & minister in terris illi fuit.* Licetq; *corpus ui sua fragile & caducum sit, tamen diuino beneficio immortalitatē accipiet, ita ut spiritale appareat. Atq; hoc sane ad absolutam hominis beatitudinem pertinet, ut omni ex parte beatus & perfectus existat.* NIC. *At quæso, num anima soluta corpore in cœlis omnino beata sit?* BAR. Maxime. NAM *res, quae animam beatam facit, Deus est.* NEC *menti ullo corporis sensu ad uidēdum & colendum Deum opus est: qui non a corporeis sensibus, sed ab intelligentia comprehenditur. Quare nihil minus felix est anima corpore exuta, quā cum corpore coniuncta.* NIC. *Quid? nonne anima corpus secum habere desiderat?* BAR. Desi-

derat. Verum hoc eius desiderium, quia ad diuinae uoluntatis normã regitur, nihil molestiae gignere potest: ne in beatum perturbationẽ ullam cadere dicas. At uero ubi corpus resumpserit, ampliari animae beatitudo uidebitur, quia in corpus dispergetur: magisq; tum de bono suo gaudebit. De fortunae bonis, quae ab hominis natura aliena sunt, nihil loquor; quia nullus usus illorum erit. Nec ad percipiẽdum diuini aspectus fructum amicorum consuetudo necessaria; licet ad exercenda inter se charitatis officia peropportuna. Erit autem sanctorum hominum amicitia, & cœlestium angelorum societas iucundissima; qui depulsis iris, inuidijs, dißensionibus una mente simul in amplissima ac splendidissima Dei domo in summa omnium bonorum ubertate habitabunt. Nec plura res ista modo requirit. Ceterum beatorum locus cœlũ est, suprema & prẹclarissima mundi pars: quod, ut a poëta græcorum optimo describitur,

οὔτ᾽ ἀνέμοις τινάσσεται· οὔτε ποτ᾽ ὄμβρῳ
δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται· ἀλλὰ μάλ᾽ αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ᾽ ἀναδέδρομεν αἴγλη.

non uentis quatitur, non imbribus ullis
Spargitur; haudq; cadens operit nix: sed tamen æthra
Ambit nube carens, & fuso lumine ridet.

Non.

Non describam beatorum sanctam ciuitatẽ auro, argento lapillisq; pretiosis undiq; nitentẽ, & ornatam Hierusalem: quam D. Ioannes in Apocalypsi mirifice designauit. (Decet autẽ aliquando res diuinas ad earum similitudinem depingere, quae oculis obijciuntur, ut quales sint mente cogitemus, cum nihil animo cernamus, quod a sensu non oriatur.) Illic nullius rei egestas est, sed omnium rerum, quae optari possunt, abundantia. Non esculentis, non poculentis opus: ipsa deitatis contemplatio nectar & ambrosia est beatorũ: qua qui uescuntur poëtarum sententia felices & immortales fiunt, nec senio nec morbo ullo unquã conficiendi. Non somni usus, quo felicitas interscindatur; quia nullus labor suscipitur. Non calorum, non frigorum molestiae sentiuntur. Non solis aut lunae radij, quia nulla e sunt tenebræ, desiderantur: Deus ipse sua clarissima luce totam ciuitatem perpetuo illuminat. Non errori, non inscientiae locus; sed in Deo quisq; uniuersa uidet, quae scire fas est. Non seruitutis species ulla, nõ ullius mali metus, non spes, non cura, non perturbatio ulla animum angit. Nam, ut sacra scripta loquuntur, absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; clamor, neq; dolor; quae prius abierunt. Quid plura? Deus omne beatorum desiderium explebit; & implebitur quisq; lætitia cum uultu eius:

animoq; recte composito suauissima pace perfruetur. Et ut breui rem concludam, in diuinitatis naturam commutati bonorum omnium fructū lætitiamq; percipiemus. Et ut *Esaias inquit, Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quae præparauit* Deus *ijs, qui diligunt illum. Ad quā beatitudinem assequendā nemo a natura ineptus est: solum recta uoluntatis affectio quæritur. Verum qua ratione tantam felicitatem consequamur, alio sermone disseremus.*



IO. ANTONII VIPERANI DE SVMMO BONO LIB. V.



De modo consequendae felicitatis.



HILOSOPHORVM nescio quis Petre frater ingentes grates Dijs habebat, quod græcus, non barbarus, atq; in ea urbe natus esset, in qua cum excellentissimis ingenijs omniũ bonarum artium studia, uirtutumq; florerent: quantam nos immortali Deo gratiã habebimus, a quo e tenebris in lucem uocati, & ab impiorum commercio seiuncti, ac cœlestis regni cũ unigena filio suo Iesu Christo hęredes duobus testamentis instituti sumus? Hoc beneficio nullum certe maius dici, aut cogitari potest. Nam *haud sane uideo quid nos iuuet huius uitae usus, si infelicissimo exitu*

terminetur; nec quid prosit intelligo principatus, quem in animantes omnes tenemus, si a diuini numinis societate, & coniunctione diuellamur: qua sola felicitatem hominis contineri proxima disputatione constitutum est. Verumtamen accessus iste ad Deum nisi per Christum homini patere nõ potest: qui nos e diaboli potestate eripuit, ac diuina mysteria edoctos ad patris amicitiã adiunxit; cui ob scelus primi parentis uehementer inuisi eramus: atq; ad placandũ cœleste numen tot tantisq; mortalium omnium delictis uiolatum in cruce uelut hostiam sese obtulit immolandum. Quãobrem christiani iure sancti nuncupantur, quia Christi sanguine tincti sunt: quo uno peccatorum sordes & maculae detergûtur. Quantum igitur beneficium hoc Christi est, quo nos patri reconciliat? ac quanta rursum patris erga nos benignitas? qui credentes in Christũ tam liberaliter adoptat? Itaq; nõ sumus amplius aduenae, sed ciues sanctorum, sed filij, & domestici Dei. Immensus profecto campus se mihi offert ad tantorum beneficiorum explicationem: sed nolo F. Bernardinũ Barbanum de modo cõsequendae felicitatis disserentẽ interpellare. ¶ *Proximo superiori die multis et grauibus argumentis ostendimus* Deum *summũ bonũ esse, utpote principium & extremũ omnium bonorum, complectens ui sua uniuersam boni rationem atq; naturam.* NIC. *Hoc a te quidem*

dem mire ostensum est. BAR. Illud quoq; docuimus, licet in Deum omnia referantur, non tamen eius excellentem prestantemq; naturam peræque ab omnibus cognosci. Quoniam quae rationis expertia sunt, nullo modo possunt cœleste numen inspicere: solum capacia rationis Deum intelligentia capiunt, qui prestantissima mens est motu pręædita sempiterno. Itaq; fixum ac ratum est, summũ bonum ab his solum possideri, quae ratione utuntur. NIC. Hoc etiam docuisti. BAR. Sed et de similitudine, quam mens hominis ad Deum habet, nonnulla disseruimus. NIC. Dixti imaginẽ Dei uocari, cũ res aliae uestigij nomine designentur, quod præ ceteris naturã diuinã melius imitetur. siquidem imago alicuius rei figurã exprimens similitudo; latens uero & obscura similitudo uestigium est. BAR. Laudo dictorum magistri bene memorem Nicolaum, neq; hebetem, neq; rudem discipulum. Diuinae igitur uirtutis aliquanis similis omnibus in rebus inest: sed sola mens, quae simplex est, sagax, & celer, numen diuinũ capit intelligendo, atq; exprimit imitando. NIC. Sic est. BAR. Ac doctissimi uiri sanctae & indiuiduae trinitatis imaginem in humano animo effictam obseruarunt: in quo memoria, intelligentia, & uoluntas, seu mens, notitia, & amor cum unius eiusdemq; naturae sint, tamen uarijs rationibus inter se distinguuntur; queãdmodum unicidemq;

eidēq; naturae diuinae tres inter se differētes relationibus personae subsistūt, pater, filius, et spiritus sanctus: ac memoria patris, intelligētia filij, uolūtas spiritus sancti similitudinē gerit. NIC. Praeclare. BAR. Mox quāta erit mēti cū Deo similitudo, cū diuino splendore in cœlis accendetur? Nam euāgelista Ioānes Deo nos similes futuros esse ait, cū eius gloria apparuerit. Ergo solae mētes possunt esse, ac uere dici beatæ. Nec beatæ sunt, nisi cum in cœlū euolauerint: nec unquā aliquid appetendi finē fecerint, nisi cū primū ens aperte cognouerint, atq; uniuersum & summum bonum perceperint. Deus autem est ipsum uerum ens, atq; ipsum summum bonum, qui principium & finis est uniuersi. Licetq; ad adipiscendum summum bonū a natura instigemur, tamen illud sine certis optimi Dei auxilijs consequi per nos ipsi nō ualemus. Quando igitur satis explicatū est, & quæ sit, atq; unde sit beatitudo, non inutile fore arbitror modum docere, quo acquiratur. MER. Non solum hanc rem scire expectamus, uerum etiam a te uehementer postulamus. BAR. Morem uobis geram quam lubentissime. Atq; inprimis exponam uires animae, quibus propositum finem consequimur; tum de diuina ope agam, quae naturalem hominis facultatem ad cœlestis felicitatis adeptionem roborat. Nam in homine uirtus quædam a natura insita est, qua (ut ante diximus) uidere Deum

ualet,

ualet;sed quæ nulla est,nisi diuina gratia cõfirmetur. MER. *Vt porro uis.* BAR. *Et quidem mihi alia uis huic uerbo, cum summum bonum dico, subesse uidetur; alia,cum beatitudinem nomino. Nam summum bonum mea sententia id, quod in bonis extremũ est, significat;beatitudo uero summi boni adeptionem.* MER. *Idem quoq; mihi uidetur.* BAR. *Quod Deus summum bonum sit, superiori disputatione probauimus, simul etiam ostendimus,quod a sola mẽte percipiatur: sed qua ui, quoue modo, hoc differendum nunc est.* MER. *Nos te diligenter et attente audiemus.* BAR. *Ne tamen moris nostri oblitus uidear,te Nicolae interrogo, Annon Deus omnium rerum finis est,sicuti est principium?* NIC. *Certe.* BAR. *Atqui ad finem nonne aliquo motu ferri necesse est?* NIC. *Etiam.* BAR. *Igitur ad consequendum summum bonum certa quadam actione opus; quae est animi motus.* NIC. *Sic prorsus.* BAR. *Tum hominis beatitudo nonne humanae naturae absoluta perfectio est?* NIC. *Hoc ipsum sæpius docendi causa dixisti.* BAR. *At rei perfectionẽ extrema (ut aiunt) manus absoluit. Quare cognoscenda est proxima actio, qua bonorum summam attingimus. Cum uero summum bonum præstantissima res sit, maximeq; optanda, & prestantissimam eße oportet actionem, qua illam persequimur.* NIC. *Recte hoc ais.* BAR. *Quid sensu-*

ne? Nic. Haud equidem. Nam etiam bruta animantia sensum habent, & nihilominus beatitudinis expertia sunt. Bar. *Ergo animo: qui in hominis natura principatum tenet?* Nic. *Scilicet.* Bar. *Et animi nobilissima actione?* Nic. *Videlicet.* Bar. *At uero præstat ea actio, quae e uitali ui gignitur constans atq; perpetua.* Nic. *At quæ hæc animi uitalis uis est?* Bar. *Ratio: sine qua animus nullus esset. Ceterum animi uirtus naturalis & insita duplex habetur, intelligentia, et uoluntas. Ergo mente & amore Deum amplecti oportet. Neq; enim satis est ad beatitudinem Dei cognitio sine charitate: nec quisquam amat, quod ignorat.* Nic: *Accepi duplicem animi uirtutem intelligentiam, & uoluntatem: tamen, si rogare hoc licet, quaero utra ad beatitudinem potior sit?* Bar: *Rem mihi ad iudicandũ perdifficilem proponis: de qua magnorum uirorum grandis est cõtrouersia. Quorũ alij plus intelligentiae tribuũt ob sapiẽtiæ nobilitatẽ, alij plus uoluntati ob efficacitatẽ charitatis.* Nec *argumentis solum, sed etiã diuinis scriptis utriq; nituntur. Pro illis est quod D. Ioannes scribit, Hæc est uita æterna, ut cognoscant te Deũ: &* D. *Matthæus, Beati mundo corde, quoniam ipsi* Deum *uidebunt. Pro his est quod idem D. Ioannes inquit, Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; &* D. *Matthæus, Intra in gaudium domini tui. Gaudiũ enim*

enim est uoluntatis affectio. Quare tanta lis aliũ, quam me, iudicem postulat. tamen uobis morẽ geram; & rem breuiter expediam. MER. *Rem nobis gratam efficies.* BAR. *Primum intelligentia uoluntate mihi ortu nobilior esse uidetur: quoniam ex aliqua cognitione desiderium cuiusq; rei generatur: nec uoluntas appetit, nisi quod ratio bonum et secundum naturam esse cõmonstrat. Quare alias uoluntatem capacem rationis appetitum uocauimus. Vnde nulla res uoluntati obijcitur, quam animus intelligentia, quae, qualisue sit, nõ ante perspexerit. At multa mens pertractat, quae ad uoluntatem non deferuntur. quoniam uoluntas id solum, quod naturae accommodatum est, asciscit; intelligentia uero etiam boni rationem scrutatur. Quocirca magis ratione a belluis, quã uoluntate distinguimur: quippe quæ cum omni ratione & sapientia careant, tamen rerum sequendarum aut fugiendarum appetitionem aliquam & declinationem habent. Verumenim aliter mens, aliter uolũtas ad rem sibi obiectã afficitur: siquidẽ mens cum rem ipsam comprahendere non potest, in eius similitudinem sese induit; uolũtas uero rem studio & amore complectitur. At sane maior est rerum, quam uoluntatum coniunctio: sed præstat formarum concentui amoris conciliatio. Quamobrem intelligentia, cũ rem ipsam capit, uoluntate insignior est: non autem æque insignis,*

signis, cum rei solam speciem accipit. Iam alia ratione, quando corpori inclusa est, alia, cum libera est, in perspiciendo diuino numine se habet intelligentia. Nam *in terris, ubi sensus menti notiones rerum subministrant, similitudinem aliquam Dei in animum inducit: in cœlis uero* Deũ *ipsum concipit affulgente gloriae lumine, & speciei uicem diuina subeunte natura. Verum eodem studio & amore Deum uoluntas ubiq; prosequitur, quamuis charitas in cœlis ex apertiori cognitione summi boni & scientia augeatur. Quamobrem in huius uitae curriculo* Deus *magis diligi, quam intelligi a nobis potest; sed cum apparuerit gloria eius, & uidebitur sicuti est, non minus intelligetur, quam amabitur. Itaq; si naturam utriusq;, mentis inquam & uoluntatis, per se tum quamq; contemplemur, maior apparebit intelligentiæ uis, quam amoris. Quod si uoluntatis studium cũ mẽtis ratione connectamus, proculdubio efficacior erit amor, quam intelligentia. Sed nec sapientia sine charitate, nec charitas sine sapiẽtia cogitari potest. Potest ne optari, quod optandũ esse ignoratur? aut non optari, quod naturae aptum esse cognoscitur?* NIC. *Haudquaquam.* BAR. Non *igitur Deus, cum plane uidetur, nõ amari potest, quia summum bonum est: ac quo magis cognoscitur, hoc etiam amplius amatur. Hoc nimirũ est illud, quod interdum ab aspectu Dei, nonnũquam*

a cha-

a charitate felices nominamur: nec certum ullum nomē aut a mente, aut a uoluntate beatitudo accipit; quoniam utriusq; actionem suo complexu pariter tenet. Quibus quidem actionibus coniuncta est delectatio: quae in animi suaui motu est. Cum enim animus concupitae rei potitur, ex præsente bono iucunditate perfunditur. Docte igitur Augustinus inquit, Fruimur cognitis, in quibus uoluntas delectata conquiescit. Id quod neq; res sensu carentes, neq; sensu præditas animantes, expertes autem rationis attingit. Nam quae sensu carent, nullam delectationem capiunt, quia nullam sentiūt: bruta uero animātia etsi uoluptatem aliquam sensu percipiunt, tamen quia summum bonum non agnoscunt, nec capiunt quidem beatitudinem. Etenim hoc uerbum frui ad summum bonum pertinet: quod solū ui sua, propterq; se expetitur. Atq; homo tantum ea sui parte propriè beatus dicitur, qua Deo cognatus est: licet deinde felicitas ad inferiorem ex superiori parte redundet. NIC. Cognosco actiones animae, quibus summum bonum assequimur; illarumq; inter se conuenientiam atq; discrimen attendo; beatitudinis quoq; fructū ex tuis uerbis intelligo. Sed nescio quis scrupulus modo mihi iniectus est. BAR. Quis iste scrupulus est? aut quae dubitatio? NIC. Quo nimirum modo cœlestis beatitudo humanae naturae conueniat, & humana ui (quod a te dictum

te dictum alias memini) capi nequeat. BAR. *Dictum fateor.* Nec *tamen ab humanae naturae conditione beatitudo nostra idcirco abhorret, quia uim hominis superat.* Nec *piget aliquando rem eandem repetere, ut maior lux disputationi aduenia t.* MER. *Scis Barbane istud a nobis in te laudari.* BAR. *Omnis nostra cognitio aut sensu continetur, aut ortum habet a sensu. Nam sapores, odores, colores, soni, aspera, mollia sub solos sensus cadunt: at cōmunē rerū, et uniuersam naturā ex singularum notatione aduertit. Sensus autem res præsentes dūtaxat, easq; singillatim accipit. Etenim animus corpori illigatus nullam rem cogitatione uersat, quam corporis sensus tanquam satellites non sibi uidendam & examinandā obtulerint. Ac licet animus interdum opera sensuū non utatur, cum nimirum se a sensibus abducit, tamen eorum, quae secum agit, formam aliquam & speciem a sensibus aliquando arripuit. Quare quæ cognoscimus, aut sensu percipimus, aut ducta per sensus animo retinemus.* NIC. *Istud non nego.* BAR. *Ergo* Deum *ideo qualis sit nec sensu, nec ratione possumus intelligere, quia nulla eius forma sub ullum sensum cadit: solum res creatae mentem nostram commonefaciunt illum esse; quoniam oculus offerens animo tantam mundi molem & apparatum, ad contemplandū opificij authorem eum inuitat. Itaq; mens obser-*

uat

uat Deum *esse, quia rerum procreatarum intelligit unum aliquē procreatorē esse oportere, cuius nulla origo sit. Qua ratione Deum a philosophis cognitū fuisse apostolus Paulus ad Romanos scripsit. Sed & quicquid est in uniuersi rebus laudabile, totum id ad eius parentem & opificem refertur; & si quid imperfectionis aut uitij inest, ab eodem remouetur. Non enim effectae res possunt totam efficientis causae uim naturamq; concipere. Vnde ab ipsarum conditione existit, si quid in illis uitij perspicitur; si quid autem in illis boni est a causa profluit: in qua uirtutes omnes maxime enitent, quippe primae, & a se productarum imagines. Ob hæc Dionysius Areopagyta triplicem uiam tradidit, per quam duce ratione ex uniuersitatis cōtemplatione in diuini numinis cognitionem a nobis peruenitur, Causae, Remotionis, Excellentiae. Quarum prima instituimur Deum uocare principium, patrem, & procreatorem uniuersi. Altera docet in eo cōpellando negantibus uerbis uti, quae effectarum rerum imperfectiones & uitia ab eo abesse significant. Itaq; immortalis, immensus, infinitus nominatur. Tertia prębet nomina perfectionem aliquam uirtutemq; notantia: qualia sunt potens, bonus, sapiens, & his similia. Quas uias ad capessendam notitiā Dei tenuit præ ceteris Plato pater et princeps philosophorum. Verum his uijs & rationi-*

bus

bus tantum intelligimus quod Deus in rerum natura sit, omniũ princeps causa: tamen eius proprias potestates, quæ sensum omnem fugiunt, quo modo, qua uia, qua ratione potest humanus animus inuestigare? Quamobrem necesse est, ut spiritus Dei *nobis illas enunciet.* NIC. *Scite loqueris.* BAR. *Nec tantum sapientiae suae quisquã tribuat, ut diuinae naturae potestatem suo ingenio metiri audeat; ac deinceps deneget* Deo *facultatem, quam ipse sua mente non capiat. Vincit enim diuini numinis præstantia omnem & humanam & angelicam intelligentiam. quandoquidem rerum effectarum natura cũ efficientis causæ uirtute nullo pacto æquari potest; nec infinita uirtus ab ulla definita re coërceri. Quamuis igitur homo* Deum *eße authorem & moderatorem uniuersi a se intelligat, tamen eius beneuolentia & coniunctione contineri felicitatem suã ne suspicari quidem a se potest. quoniam hoc omnẽ humanae cognitionis modum superat. Quod si diuinam felicitatem homo nequit ulla ratione cognoscere, ni cæleste lumen affulgeat, neq; illam ui sua poterit adipisci, ni diuinum auxilium adiũgatur. Quippe ad finem eminentem supra naturae facultatem simili opus est ope. Itaq; cælestis beatitudo supra humanam uirtutẽ est: neq; idcirco tamen humanae naturae non cohæret: quia potest ab homine contingi, si diuinitus adiuuetur.* MER. *Hoc auxilium*

xilium nosse cupimus. BAR. De lumine gloriae; quo mens ad uidendum Deum in cœlis habilis et apta redditur, proximo sermone dictum est; nunc de gratia, qua in terris animus ad cognoscendum & amandum Deum informatur, dicemus. NIC. Igitur quid gratia sit expone. BAR. Gratia est qualitas quædam a Deo animae gratis infusa, qua naturam diuinam participamus: donũ cœleste, immortalis uitae origo, ac cunctorum bonorum principium. Quae quidem qualitas si uel a nobis, uel in nobis inesset, uel aliquo nostro merito a Deo nobis donaretur, gratia non esset, sed uirtus aut insita nobis a natura, aut nostro studio comparata, uel operi nostro debita merces. Ideo autem gratia (ut apostolus Paulus ait) quia non ex operibus. Omne autẽ munus argumentũ amoris est. NIC. Quid? omne donum a Deo nobis gratuito datum nonne gratiae nomine signabo? BAR. Etiam. tamen donum, quo Deo chari reddimur, eiusq; filij constituimur, nempe gerentes perfectam illius imaginem, commune nomẽ proprium fecit. NIC. Intelligo. BAR. Atq; equidẽ gratia perinde nostram animam perficit, ac forma materiam: sine qua rudes & hebetes essemus ad functiones operum perfectae iustitiae. Perfectae autem iustitiae munus est diuinis monitis & preceptis parere: nec ad diuini numinis arbitriũ fingere se quisquam potest, qui diuina gratia uacuus

cuus

cuus est. Proinde apostolus Paulus inquit, non est iustus quisquam. quia omnes in uita delinquimus; in quibus insunt inuitamenta libidinis. Vnus autem est Deus, qui iustificat. Nic. *Quid est iustificare?* Bar. *Iustum, & uita æterna dignum facere. Atqui solus Deus hoc facit sua gratia; qua nos sibi subdit, & nostrarum uirtutum actiones ad cœlestem gloriã instituit. Neq; enim opera nostra eiusmodi sunt, ut maximi et infiniti pretij mercedem promereamur. Verum si actiones nostras Deus cœlesti gratia, quae uirtute par est gloriae, cõponat, reddet nos tanto præmio dignos, in donando gratiam benignus, in tribuendo gloriam iustus. Igitur absq; gratia nullus potest opus ullum efficere dignum diuina mercede; nec (ut Paulus loquitur) dicere* Dominus *Iesus, nisi in spiritu sancto nõ solum docente, sed etiam in illius animo insidiente.* Nic. *At obsecro Adae nostri generis parenti, priusquam peccaßet, an isthac gratia opus fuisset ad retinendum iustitiam, perfectum inquam uitae statum, in quo a Deo conditus fuerat?* Bar. *Maxime. quoniam ad æternitatem a se aptus non erat: nec continere se a casu & prolapsione in peccatũ multo tempore potuisset, si non diuino auxilio & uirtute subnixus esset.* Nic. *Quomodo igitur cœlesti gratia affectus, a diuino edicto mulieris oratione recessit?* Bar. *Quoniã uoluntas nostra libera est, nec cogi potest; atq;*

atq; ut in nostra potestate est gratiam accipere, sic etiam in nostra manu est illam reijcere. Siquidem forma rem sibi subiectam effingit ita, ut illius fert natura. Atqui gratia forma est animae; quae dum in uia est, uaga & mutabilis est, consiliorũ & sententiarum pro suo arbitratu faciens multas magnasq; mutationes. Quamobrem gratia ita animae inest, ut pro eius inconstantia & mutabilitate dimoueri possit. Vnde ante primi parentis nostri Adae peccatum ad iustificationem duo requirebãtur, nimirũ, Dei *liberalitas, qui gratiã daret, & hominis uoluntas, qui illã acciperet, quãquã iste uoluntatis humanæ ad suscipiendã gratiã motus ab ipsa gratia præueniente cietur. post peccatũ uero etiã peccati detestatio et expulsio necessaria.* Nõ *enim gratia patitur peccatũ in eodẽ secũ esse domicilio: neq; illud ex animo remouetur, si non etiã animus ad illius depulsionẽ cum gratia cõspiret. Ac quandiu in terris a cœlesti Hierusalẽ peregrinamur, semper in periculo excidẽdi a gratia sumus, ni singulari beneficio a* Deo *confirmemur.* Nam *tot falsis opinionibus & erroribus circumfundimur, tot pro spiritu & ratione cõtra carnem & appetitum dimicationes suscipimus, tot a malis dæmonijs saluti nostrae grauiter insidiantibus dolis ac fallacijs dies & noctes petimur, ut semper (quod uulgo dici solet) in lubrico uersemur. Quapropter nos apostolus Paulus monet,*

ut in timore ac tremore salutem nostrā operemur. NIC. *Quando de iustificatione dicere cœpisti, authorem illius, modum, & finem ex ordine paucis ostende.* BAR. *Faciam: ne quid a uobis in hac nostra extrema disputatione desideretur. Qui mentem cœlesti luce illuminat, idem etiam hominem diuina gratia iustum facit: Et quidem euangelista Ioannes* Deum *uocat lucem ueram, quae illuminat omnem hominem uenientē in hunc mundum: eundemq; esse apostolus Paulus aßerit, qui iustificat. Forma iustificationis est gratia: quae quid esset exposuimus: quo tamen pacto in species diuidatur, dicam modo. Est autem duplex, altera præueniens, quæ uidelicet hominis animum mouet atq; instituit ad cognoscendum, & recipiendum diuinum donum. nam (ut idem apostolus inquit) non sumus ex nobis sufficientes aliquid boni cogitare. altera (libet enim loqui uocibus ab ipsis authoribus usitatis) subsequēs: nēpe quae hominem bene agentem adiutat. Ideoq; inchoatio & absolutio cuiusuis boni operis* Deo *accepta referuntur: quia a* Deo *sunt: qui (ut eiusdem apostoli uerbis utar) dat in nobis uelle & perficere. Humanitas uero Iesu Christi, ut manus artifici, sic* Deo *annexū est coniunctumq; instrumentum, quo nobis gratiam largitur. quandoquidem humana natura cum diuina in filij persona copulata est. Atq; ut per filium æterni patris*

tris sapientiam & uirtutem, per quem facta sunt, & administrantur omnia, etiam si nullum unquã peccatum contra diuini numinis imperium admissum esset, tamẽ iustitiae merces a Deo semper homini tributa fuisset; sic per eũdem filium post læsam maiestatem donari utiq; decet. Quamobrẽ bene sacra scriptura inquit aliud nomen sub cælo datum non esse prȩter Iesu Christi, in quo oporteat nos saluos fieri. At uero iustificationis fructus est humanae mentis cum Deo cõiunctio. Hoc hominis summum bonum est, huc omnia referuntur. Sed referri sine gratia non possunt; quae animae uitalem uitã affert. Itaq; diuus Paulus gratiam Dei uitam æternam appellat: per quam scilicet ad nouum genus uitae, & spiritale generamur. Ceterum a gratia certae quædam uirtutes exoriuntur, quae ut gratia naturam animae, sic ipsae uires animae confirmant, atq; ad certorum munerum functiones idoneas reddunt: nec re a gratia, sed ratione, non aliter atq; animae uires ab animae natura distinguuntur. NIC. Ergo de his etiam uirtutibus dicendum tibi est? BAR. Est sane. Et te opinor meminisse Deum propter naturae suae simplicitatem ante a nobis actum philosophorum more uocatum fuisse. NIC. Optime. Quid tum? BAR. Quia si eius similiores esse uelimus, ipsum actione uirtutum conuenit imitari: a quibus rectae uitae modus describitur. Oportet

autē præclarissimae uirtutis actione potissime Deū imitari, qui prestantissima res est. Prestabiliores autem animae facultates, & insigniores sunt intelligentia & uoluntas: quae in superiore sede resident. NIC. *At quibus rationibus cōformantur?* BAR. *Merula noster cū de uirtutibus ageret, alias uocauit inspectiuas, quæ in ueri cognitione uersantur; alias actiuas, quae actione consistunt: atq; illis mentem, his appetitū perfici dixit: in illisq; principiorum intelligentiā, scientiā, et sapientiam numerauit; in his uirtutes, quae uulgo morales appellantur. Veruntamen horum generum uirtutes ad naturales quasdam actiones, non ad cælestis felicitatis adeptionē animū cōponunt: ad quam nulla uis naturae pertinet. Proinde ad tantum munus alijs uirtutibus opus est, non humanis, sed diuinis.* NIC. *Quae uero istae sunt?* BAR. *Quae? Fides, spes, & charitas. Fides mentē uera Dei cognitione illustrat; spes ad summi boni adeptionem uoluntatem excitat; charitas hominem beneuolentia cum Deo coniungit. Quae, quia Deum respiciunt, & a Deo nobis immittuntur, theologicae nuncupantur. De quibus ordine pauca dicemus.* MER. *Facis porro quod uolumus.* BAR. *Et a cuiusq; definitione exordiar.* MER. *Istud ipsum in omni disputatione fieri docti uiri præcipiunt.* BAR. *Fides quid sit explicat apostolus Paulus ad Hebreos scribens his uerbis.*

bis. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Res, quae sperantur, sunt diuinae: quae non uidentur, sed expectantur. Nã quae in nostra facultate, et prçsentia sunt sperat nemo. Neq; a nobis ulla scientia comprehenduntur. non enim necessarie demõstrantur. neq; in opinionem adducuntur; quae dubiam mentem huc illucq; impellit: sed diuino afflatu nobis persuadentur. Ideoq; Paulus fidẽ uocauit substantiam; quod esset firma & stabilis persuasio, faciens res sperãdas in nobis subsistere: appellauit quoq; argumentum; quoniam sperandarũ rerum cognitio diuinitus persuasa in animo constantissime inhçret. Vnde a Secundo philosopho fides ignotae rei miranda certitudo; a nobis non opinor male sic describeretur, rerum diuinarum, earumq; sperandarum in animo diuinitus excitata persuasio. NIC. *Egregie sic descriptam existimo.* BAR. *Sed definitionis partes persequar.* MER. *Iuste istud a te fiet.* BAR. *Primum fides nõ quarũuis rerum est, sed tantũ diuinarum, atq; earum dumtaxat, quarum aliquando nos esse potituros speramus: quae nimirum felicitatem nostram efficiunt. Tũ fidei nomen assensionis est nota, qua mens humana non physicis argumẽtis, sed diuinis enunciationibus commota res istas esse, & huiusmodi esse, quales in sacris monumentis describuntur, credit: quas alioquin nec sensu,*

nee ratione caperet. Nam quæ Dei sunt (ut apostolus Paulus ait) nemo nouit, nisi spiritus Dei, Et Eccl. Plurima supra sensum hominis nobis ostensa esse refert. Itaq; fides neq; a nobis, neq; in nostra potestate est, sed a Deo nobis ingeneratur, prout Christus inquit, Nemo potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit eũ. Sed tamẽ assensus iste a uolũtate menti imperatur. Nemo enim credit, nisi uolẽs. Hac de causa D. Augustinus scribit fidẽ in credentium uolũtate cõsistere. Neq; uero quia nostræ mẽtis aciẽ uincũt res, quæ fide tenẽtur, idcirco falsæ & uanæ sunt; aut rõni repugnãt, quia ratione dispici nequeũt. Hinc a fidei semita multi aberrauerunt, quod physicis argumentis solũ, & rationibus inniterentur: dicentesq; se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Quid enim stultius, quã humanae intelligentiæ uim potẽtissimi Dei uirtuti parẽ facere? Ac iure Hieremias Stultus est factus, inquit, oĩs homo a scientia sua: & Esaias, Sapiẽtia tua, & sciẽtia hæc decepit te: atq; Apostolus, Sapientia huiusmodi stultitia est apud Deũ: quippe qui tales sapiẽtes irridet. Nec uero fidẽ ex rerũ cognitiõe accipimus; sed per fidem in rerũ cognitionem uenimus. Nã (ut multa alia omittã) immortalitas animae, de qua tot pugnas inter se philosophi seruerũt, & pręmia, quæ post mortem pios manent, impiosue supplicia, de quibus tot cõmenta poëtae excogitarunt, quomo-

da a nobis intellecta sunt, nisi per fidē? Bene itaq; Esaias, Nisi credideritis, non intelligetis. NIC. Quid uero in his rebus agendū, quæ rōne uersari non possunt? BAR. Sicut docet Apostolus, in captiuitatem redigendus est intellectus in obsequiū fidei. Redigitur autē, cum a uoluntate iubetur diuinis enunciatis sine ulla disceptatiōe, aut hæsitatione assentiri. Nā quæ fides tū esset, aut quod fidei meritū, ubi humana ratio (ut ait Gregorius) præbet experimentū? NIC. Quæ tandem credere necessum est? BAR. Quæ diuinitus sacris monumentis enunciata sunt. Cōtrahūtur autem in articulos duodecim, quos Apostolorū symbolū facit. Præter hos nihil aliud oportet sapere. Nec Pauli præcepto sapiendū est, plusquā opus sit. NIC. At quomodo fides in nobis generatur? BAR. Per probatorū hominū sermonem lumine gratiae mentem illustrante, ut sacris dictis aßētiatur. Idcirco Paulus, Quomodo credent, inquit, ei, quem nō audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante? Sed miraculis diuinisq; operibus confirmari decuit persuasionem, quae humana ratione & intelligētia superior eßet. Nec porro alia est fides maiorū nostrorū ab ea, quā habemus: sed illorū obscura, ac certis notis implicata, nostra plana et aperta est: quæ alio atq; alio tempore pro hominū captu manifestius explicata fuit. Iam societas in Christū credentium Ecclesia nominatur: cuius figurā gerit

arca a Noë iussu domini ædificata: extra quā qui terrarū eluuionis tēpore inuēti sunt, medijs aquis submersi interierunt: nō aliter qui in ecclesia non est, morte perit æterna. Nemo enim Pauli sententia potest sine fide placere Deo. Qui enim placeat Deo, quae Dei sunt nō credens? Ideoq; fides catholica dicitur, quia una eademq; ab uniuersis tenenda est. Qua de causa doctissimus Augustinus omnem infideliū uitā peccatū uocat; quia nullū est bonū sine summo bono; atq; ubi deest cognitio ueritatis, falsa est uirtus, etiā in bonis moribus. Nic. Hic ille scrupulus est. Bar. Quis? Nic. Si ea, quae fide creduntur, nulla intelligentia & rōne a nobis percipi possunt, qd est hoc infidelitatis crimen? cū lex ἀδύνατον nō iubeat? Bar. Istum scrupulū facile a te ipse remouebis, si attendas nos ad fidem eatenus lege obstringi, quatenus ad fidem cōducentia diuina auxilia recipere debemus, quae legem naturae seruātibus dantur. Vnde infideles tanquā diuinorū auxiliorū expulsores a Deo graui pœna puniuntur. Nic. Laudo. Bar. Quoniā igitur de fide diximus, quae summi boni speculatrix, & reliquarum uirtutum quasi sedes, & spiritalis ædificij firmissimum fundamentum est, de spe & charitate dicamus. Mer. Id ipsum a te disputationis ordo requirit. Bar. Spes est non uana æternae felicitatis expectatio. Est enim motus uoluntatis ad consequendum bonum, quod intelligen

tia prœmonstrat. Bonũ uero, quod speratur, ipsum summum bonum est, cœleste et immortale, qđ non uidetur, & creditur esse; necdum habetur & expectatur. Nam quod uidet quis (inquit Apostolus) quid sperat? Nec præsentis, sed uenientis boni spes est: at si longe absentis est, segnius animũ mouet. NIC. *At quomodo spes in nobis creatur?* BAR. *A* Deo per *fidem. Munus enim Dei est. Quare certa & rata est, non fallax & mendax; quæ nos frustretur, & delusos uerecundo rubore afficiat. Proinde Apostolus inquit, Spes nõ confundit: & Eccl. Nullus sperauit in* Domino, & *confusus est. Quia uero bonum, quod spe concipitur, difficile adeptu animo proponitur, ad muadenda pericula audacia, ad tolerandos labores patientia quæritur. Ob id idem Apostolus patientes in tribulatiõe debere nos esse admonet, cõstantesq;, ne a concepta diuinitus spe decidamus: nec nostris uiribus fidere, sed diuino auxilio. quo recreatus apostolus Paulus omnia se posse dicebat: & in quo (ut scriptura loquitur) omnes qui sperant, non infirmantur. Ac spe gaudere oportet, sicut alacres & strenuos milites, quos spes uictoriae ad pugnam audentes & acres reddit. Atq; ut in mari anchora nauem sistit, sic in huius uitae æstu spes animum firmat, tenens dente non terram, sed cœli penetrales. Sic in aduersis rebus nos Paulus hortatur, ut confugiamus ad tenendam propo-*

sitam

sitam spem: quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam, & incedentem usq; ad interiora uelaminis. Atqui si finem contingere non potest, qui ad illum certo cursu non incitatur, nec aeternam felicitatem bene sperare potest, qui uirtutum actiones non exercet. Exercet autem illas, qui amat, quod sperat. Itaq; spei ratio ad meritorum normam perpenditur; quae ad charitatē ipsa dirigitur. Quapropter Augustinus, Non potest, *inquit, aliquis diligere, quod esse non crediderit. Porro si credit, & diligit, bene agendo efficit, ut etiam speret. Sed naturam charitatis, quae tertia e tribus theologicis uirtus est, aperiamus: mox illarum inter se cognationem, & quasi consensum concentumq; ostendemus.* NIC. *Quid est charitas?* BAR. *Charitas est amor, quo Deum tanquam felicitatis nostrae authorē amplectimur.* Non *enim quiuis amor, qui in Deum habetur, charitatis nomen usurpauerit, sed is tantū, quo Deus, ut hominis summum bonum, amatur: cum pleriq; numen diuinum colant, nec eius cultu beatitudinem suam metiantur: nec quisquā metitur, ni possideri a se posse speret; nec sperare, ni ita fore credat; nec credere, ni diuinae gratiae luce illuminatus sit. Ergo charitas est uoluntatis motus a fide & spe excitatus, quo cū Deo coniungimur. Nam infunditur, ut inquit Paulus, in cordibus nostris per spiritum sanctum: qui charitatis nomine signa-*

signatur, quippe inter patrem & filium amor. Atq; ut Dei uera cognitio uim omnem mentis superat, & (ut Pauli uerbis utar) omni humanae scientiae supereminet; sic eiusdem amor omnem uoluntatis naturalem conatum uincit. Nec dubitandum est, *quin Deus amantes sui amplectatur: qui in sacris prouerbijs ait, Ego diligentes me diligo. Vnde, ut tradit Ioannes Euangelista, Qui manet in charitate, in Deo manet, &* Deus *in eo. Hoc ipsum Paulus cōfirmat, dū inquit, Fidelis* Deus, *per quem uocati estis in societatem filij eius. Nā Christi societas Dei est cum hominibus consuetudo. Itaq; mutua inter nos & Deum beneuolentia charitas est.* NIC. *Potest ne charitas in hac uita constanti aliqua absolutione finiri?* BAR. Nō. *quia nulla Dei cognitio euidens haberi potest. Erit uero summa in patria, cum in oculis et ore beneficētissimi Dei acquiescemus. Initur autem hic in uia per fidem ex diuinae gratiae munere; illic autem in patria per diuini numinis præsentiam ex cœlestis gloriae lumine perficitur. Et præcipue quidē filij regni æterni a filijs perditionis charitatis nota discernuntur. Etenim Ioannis euangelistae iudicio qui nō diligit, manet in morte; qui autem diligit, legem obseruat. Quae sane lex secundum Paulum in uno sermone impletur, uno inquā charitatis præcepto: quo & Deum, ut parentē ac dominum, & proximū, idest, genere & natura nobis*

bis coniunctum diligere iubemur. Diuinae autem legis obseruatione cœlestem hæreditatē adipiscimur. Itaq; charitas preceptorum nexu coërcita cunctas animi laudabiles affectiones cōplectitur, cum diuinis præceptis uirtutes omnes contineantur. Nunc quantum amor Dei distet a sui ipsius amore, φιλαυτία græce, animaduertite. Ille animum a multis uarijsq; rebus in unam cogitationē, quo modo placet Deo, inducit; hic in uarias affectiones curasq; diuellit, honorum, diuitiarum, uoluptatum: quarum est infinita cupiditas. Ille docet omnibus hominibus, uel inimicis, beneuolentiam præstare; hic paucis tantum, aut sanguine, aut consuetudine comunctis. Sed & charitas (nā proprium amoris est uoluntates inter se cōciliare) ita Dei & hominis amicitiam conglutinat, ut dissolui nulla unquam aduersa re queat. Quo circa Paulus aiebat, Quis me separabit a charitate Dei? Quia uero cum adest quod amatur, delectationem parit, profecto charitas iucundissimā uitam efficit, Deum in oculis semper ferens. NIC. *Quæso (neq; enim puto absurdū esse id a te sciscitari) quomodo Deus amandus est?* BAR. *Ad hoc tibi respondet diuus Bernardus, absq; modo. Quis enim infinitae rei modum reperiat? Neq; in Deū tantam beneuolentiam nauare possumus, ut maior adhuc nauari non possit: etsi animorum capacitatis certus est modus. Hinc quandiu fungemur*

huius

huius uitae muneribus, charitas maior fieri poterit, nec tamen ad eam magnitudinem peruenire, ad quam peruentura in cœlis est, ubi clare diuinitatis species uultusq; cernetur. Quo enim presentior est Deus, eo uehementius diligitur. Promeremur autem uirtutis bonis actionibus a Deo charitatem nostram augeri & perfici: sicut Paulus nos monet, Facientes, inquiens, charitate crescamus in illo. Ac reliquae uirtutes uiã nobis ad cœlum muniunt, sed charitas sola nos eo perducit. Immo fidei & spei usus in cœlis non erit, quia illic cernemus aperte, quae hic obscure uidemus, & eorum potiemur, quae cum spe expectamus: charitas uero, ut Paulus loquitur, nunquam excidit. Nã siue in cœlis, siue in terris, seu absens, seu presens Deus semper amatur. Maiorem uero gratiam ex eius præsentia colligemus, quia melius numen eius obseruabimus. MER. *Sed uelim scire uirtutes istæ quo inter se nexu & uinculis cõnectantur.* BAR. *Primũ omnes in eiusdem rei studio uersantur, nempe in cognoscendo, atq; assequendo summo bono : sed fides inuolutum obscuritatibus euoluit; spes ad illius quamuis arduam & difficilem adeptionem mouet; charitas uero congruenti studio & amore complectitur. Fides lumen ad cernẽdum uerum intelligentiae prefert; spes summi boni expectationẽ in animo ingenerat; charitas uoluntatem regit, & ab omni intem-*

intemperãtia & immoderata cupiditate refrenat. Fides ad concipiendum spem, spes ad amplexandum charitatem cum fide animum informat. Quo enim magis cuiusq; rei natura cognoscitur, eo magis expetitur: nec quisquam sequitur, quod assequi se posse diffidit. Itaq; fides spem, spes charitatem ortu antecedit. Nec tamen fidem aut spem a charitatis commercio seiunxeris: sine qua nullã uirtutis rationem haberent, quia carerent forma uirtutis, quae est charitas. Nam credendis rebus assentiri, & creditas res sperare a charitate est: quando rectus motus uolũtatis a recto amore prouenit. Quamobrem Paulus fidem charitate affectã ueritatis charitatem uocat: eamq; per charitatem operari ait; & D. Iacobus sine operibus mortuam esse asserit. Tum spes ratione boni, quod sperat, charitatem insequitur; uerũ ratione eius, a quo sperat, charitatem praeuertit. Itaq; charitas licet a fide & spe generetur, tamẽ ipsa fidei & spei formam & speciem absoluit. Ob idq; mater & caput illarum est, atq; omnium uirtutum praestantissima, decernens omnibus uirtutibus amoris modum, quẽ quanq; seruare oporteat. Ac quidem spes & fides nos recte ad Dei beneuolentiam componunt, sed sola charitas nobis illam conciliat: illae Deum ex interuallo respiciunt, nã fides est de non uisis, spes de non habitis; at charitas Deum proxime amplectitur, atq; in illius na-

turam

turãnos cõuertit. Credẽtes & sperãtes cũ charitate stellis cœli, at arenæ maris cõparantur, qui sine charite fidem & spem habent. Quamobrẽ Paulus nos hortatur, ut in charitate fundati, et radicati simus: quae reliquarum uirtutum & radix & forma & perfectio est. Ac modo galea salutis nominatur, quia summa est omnium uirtutũ & absolutio; modo uinculum perfectionis, quia finis præcepti est, ac Deo *nos deuincit; & propter concordiam, quam parit, Christi uesti simulatur, quae (ne a sacrorum scriptorum uerbis recedam) desuper erat contexta per totum. Neque solum theologicarũ uirtutum, sed etiã moraliũ forma est. Nam ad æternam felicitatem etiã effingit formatq; appetitum: cuius rectae affectiones uirtutes morales nuncupantur. Etenim duobus principijs ad agendum mouemur, ratione, & appetitu: sapientia rationem illustrat; ratio appetitũ regit; utriusq; uim amor gubernat. Charitas igitur omnium uirtutum regina est, quae modum omnibus præscribit.* NIC. *Ecquid etiã uirtutes morales a Deo, sicut theologicae, nostris animis inijciuntur?* BAR. *At te ego uicissim rogo. Virtus nonne est ad felicitatem uia?* NIC. *Est.* BAR. *Quod si finis in cœlo est, nonne uirtutes cœlestes esse oportet?* NIC. *Ita sane.* BAR. *Atqui non solum ab intelligentia, sed etiam ab appetitu humanae actiones oriuntur. Oportet igitur etiam*

uirtutum moraliũ habitus ad consequendam cælestem felicitatem diuinitus immitti. NIC. *Qui uero sunt isti habitus?* BAR. *Prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Quae uirtutes, quia christianae uitae modum describunt, cardinalium nomen apud quosdam inuenerunt. Scripsere quidem permulta de uirtutibus moralibus tũ ueteres philosophi, tum rerum diuinarum periti: sed nostri melius; qui sese extra humanam consuetudinem extulerunt, non humana, sed diuina ratione & lege subnixi; quæ rerum agendarũ optima norma est, atq; omni humana scientia præstantior. Quare de his dicere in præsens tempus supersedebo; & externa auxilia (nam uirtutes interna recte, opinor, uocaueris) breuiter indicabo: quae nobis ad consequendam beatitudinem optimus Deus cõparauit.* NIC. *Quae uocas auxilia externa?* BAR. *Sacramenta.* NIC. *Quid uocas sacramentum?* BAR. *Non solemne iusiurandum, sed rei sacræ signũ. Quæ uox Ciceroni noua est, quia etiam res ignota. Signum autem sub aliquem sensum cadit. Ideo sacramentum constat re ad sensum aliquem pertinente.* NIC. *Hac ratione profecto res omnes, quae sensum aliquem tangunt, sacramenta sunt.* BAR. *Quinã?* NIC. *Quia sunt signa rei sacrae.* BAR. *Quomodo?* NIC. *Quatenus sunt diuinae bonitatis uestigia. Nam Dei bonitas res sacra est.* BAR. *Rem sacram hic dico,*

quae hominem sanctũ et iustum facit. Sola autem gratia huiusmodi est. Vnde sacrae rei nomen ob præstantiã obtinuit. Aliae res a Deo procreatae diuinae quidem bonitatis speciem repræsentant: nõ tamen hominẽ Deo charũ & acceptũ reddũt. NIC. *Probo quod dicis. Sed tamen gratia, quae sacramentis cõfertur, quid ab uniuersa gratia differt?* BAR. *Nihil omnino: solũ peculiaria diuini numinis ad certas operas auxilia diuersis sacramentis ex statis ceremonijs designãtur.* NIC. *Et ista gratiæ signa sunt ne ab hominibus instituta, an naturalia?* BAR. Nõ *quidem naturalia, quia gratia naturae munus non est; nec ab hominibus, sed a Deo sancita, qui gratiã dat, solusq; iustificat. Tũ quia sacramenta ecclesiae fundamenta sunt; ecclesia uero est domus Dei; sane decuit fundamẽta domus ab architecto & domino iaci & excitari. Quãobrem sacramẽtũ definitur esse signũ ex* Dei *institutione sanctificationem nostram repræsentans. Ceterum forma & materia signum hoc constat. Materia res omnis est, quae aliquo sensu capitur, siue naturalis ea sit, ut aquã, oleũ, panis, uinum: siue aliqua hominis actio, qualis in pœnitentia adhibetur. Forma uero est oratio spiritalem sacramenti uim effectũq; ex externo actu significans. Itaq; cũ dicit ecclesiæ minister, is, qui sacramentũ exercet, Ego te baptizo, animi maculas rore cælestis gratiæ detergi ex corporis ablu-*

tione intelliges. Quare si aut debita materia desit, aut forma uitietur, sacramenti uis nulla est. NIC. *At queso (nã dicis sacramenta a Deo sancita esse; & scita* Dei *sacris libris cõmendata sunt) liquet ne monumentis euãgelistarũ ulla esse sacramenta?* BAR. *Liquet esse rem & uirtutem sacramenti: sed nomen a sapiẽtissimis sanctissimisq; uiris postea factũ fuit.* NIC. *Et omnia ne sacramenta in euangelijs agnoscuntur?* BAR. *Non omnia sacramenta ab euangelistis explicãtur, sed potissimum ad fidem & ordinem ecclesiae necessaria: reliqua licet a Christo decreta sint, tamen ab Apostolis promulgata sunt; quorũ doctrina utiq; coelestis & diuina est.* NIC. *Quid uero opus sacramentis, si fide, spe, et charitate beatitudinem assequi possumus?* BAR. *Vt qui scientiam a sensu capimus, rebus, quae sensibus obijciuntur, erudiretur, & quasi manu ad diuinarũ occultarũq; uirtutum cognitionem duceremur. Tũ ex sacramentis certos quosdã fructus gratiae, et singularia cõtra uitiorum morbos remedia accipimus.* NIC. *Quot uero sunt sacramenta?* BAR. *Septem. Quorum quinq; ad singulorum integritatem: reliqua ad christianae societatis propagationem & cõseruationem pertinent. nã matrimonio genus nostrũ producitur; ordine uero & potestate custoditur. At Baptismo quisq; in uitã aeternã generatur; crescens Cõfirmatiõe cõtra res aduersas, et ad toletandos*

randos labores fulcitur; Eucharistia alitur; Pœnitentia, si post baptismũ in peccatũ ceciderit, subleuatur; ac Deo, quem cadens offendit, in gratiã restituitur; Extrema unctione reliquiæ peccatorũ remouentur, & quae sordes nobis inscijs remanserant, eluuntur. Vnde ad diuersa gratiae opera spiritus sanctus uaria signa congruenter aptauit. Exempli causa, ad alimentum panem & uinum; ad ablutionẽ aquã; ad uiriũ corroborationẽ oleũ; eodemq; pacto reliqua sapienter cõstituit. Quare sacramentum aliqui dicunt esse, quod ex similitudine repræsentat, et ex institutione significat: aliqui, in quo diuina uirtus sub tegumẽto rerum sensibilium secretius operatur salutem. Operatur autem per ministros ab Ecclesia destinatos: in quibus propositũ esse debet faciendi, quae Ecclesiæ mens & consilium est fieri. NIC. Igitur in ministro solum potestas quæritur, & uolũtas. BAR. Hoc aio. NIC. Quid eiusdem sanctimonia nullam ne in rẽ utilis est? BAR. Non ad donationẽ gratiae: quia Deus author eius est, nõ homo: tametsi ministrorũ sanctitatẽ aliorũ pia affectio sequitur. NIC. Sciscitarer adhuc a te libẽter. BAR. Sciscitare. NIC. sacramenta ueteris legis non ne erant sacrae rei, hoc est, gratiae signa? BAR. Erãt, sed cõferendae per Christũ; qui nondum uenerat in mundũ. Quare illis gratia non conferebatur. At nouae legis sacramenta signa sunt gratiae, quae per Christum

præsentē confertur: a cuius passione uirtus omnis emanat. Habetis uirtutes, habetis etiam sacramenta; illæ interiora, hæc extrinseca ad acquirēdam felicitatē adiumēta a Deo per Iesum Christū mortalibus allata: per quē gratia donatur, qua et iustificamur. NIC. Habemus. Sed quæso uiuendi pcepta nobis a Deo data nōne etiā sunt ad felicitatē adiumento? BAR. Sunt. Nā Deus optimus maximus, qui singulariter hominum saluti prouidet, propter imbecillitatē humanae rōnis legē per famulum suū Moysem dedit; quae iubet faciēda, probibetq; cōtraria, rectissima ad cōsequēdā æternam felicitatē uia. Non enim est humana intelligentia ex se apta numinis diuini sensum dispicere; nec ratio perturbationibus animi cōmota quod iustū & æquū est uidere. Quare diuinis præceptis ad recte uiuendū opus fuit. Sed ea tamen seruare nō potest, qui cœlesti gratia affectus non est: quae tantūmodo per filiū Dei Iesum Christū donatur. Sic D. Ioannes Lex, inquit, per Moysem data, gratia & ueritas per Iesum Christū facta est. Itaq; beatae uitæ inchoatio est gratia, perfectio gloria: & utramq; dat Dominus, ut egregius propheta testatur. Quamobrē Dei uoluntati obsequi, et ad eum omnia referre debemus, si perfecte beati esse uelimus. MER. Hoc nobis facto est opus. BAR. Etenim nostro etiā aliquo studio beatitudinē promereri nos oportet; quia uolūtates nostræ liberae

sunt,

sunt, nulli naturae necessitati parentes. Ideoq; nobis aliquid de meritis uidetur dicẽdũ: quibus cœlestem fructũ ex diuina gratia percipimus. MER. *Amo te quia id facis.* BAR. *Cũ aliquo peruenire uis, nõne uiã ingrederis, quæ te eo ꝑducat?* NIC. *Sic est.* BAR. *Nec quisquã amicitia cum* Deo *iungitur, qui eius uoluntati non obsequitur. Viuendi autẽ præcepta nobis a* Deo *tradita instar uiæ sunt ad felicitatẽ. Et quidem summũ bonũ oẽs naturaliter appetunt: quanquã illud omnes in eadem re non ponunt. Quae naturalis appetitio finis græce* θέλησις, *a nostrorũ plerisq; dicitur uolũtas, habẽs se naturae modo: quoniam constans, & in omnibus hominibus eadẽ est.* Nemo *enim est, qui nõ uelit esse beatus, hoc est, saluus, & in suo genere omni parte perfectus. Verũ de his cõsulitur, quæ ad finem conducunt, ut aptiora et opportuniora eligamus. Quæ electio a uoluntate est; cui nomẽ græcis est* βούλησις, *a nostris liberũ arbitriũ, libera inquã uoluntatis hoc, aut illud deligendi potestas. Quæ uoluntas rõnis speciẽ habet, quoniã in diuersas partes, sicut consultatrix utilitatum ratio abducitur. Huius generis uoluntatẽ habere non possunt, quæ mentis expertia sunt: quoniã carẽt oĩ cõsilio; nec quae agũt, a se agũt, sed instinctu quodã naturæ. Ex his cõcludo summi boni nullum esse delectũ, licet eius inquisitio sit. Sed ne a proposita re digredi uidear, ad id responde, qđ te interrogo.*

NIC. *Interroga.* BAR. *Beatitudo, nonne ipsa uita aeterna est?* NIC. *Certe.* BAR. *Diuinis uero monitis & mandatis parere, nõne munus est perfectae iustitiae?* NIC. *Concedo.* BAR. *Ob id apostolus Paulus beatitudinẽ, quam post mortẽ expectaret, spẽ iustitiae uocauit.* NIC. *Pulchre.* BAR. *Quid tandem merces datur ne ineptis?* NIC. *Quem uocas ineptũ?* BAR. *Eum, cuius nullũ meritum extat.* Nempe *si quid datur non merenti, nõ premiũ, sed donũ est. Hinc bruta animantia, quę sui iuris non sunt, nec ex se quidquam agũt, ut omni laude, & uituperatione carent, sic nullo praemio, aut poena digna censentur.* Neq; *enim quid bonum, aut malum sit possunt rõne conijcere, nec quid consilij dubijs in rebus capiendũ dignoscere, nec libere in hanc, uel illam partẽ sese appellere: dumtaxat a natura insita ui aguntur. Itaq; illorũ omnis motus & actio ad naturam principẽ transfertur. Qua de causa principium et ratio promerendi est a libertate uoluntatis. Atqui uolendi aliquid, nolendiq; facultatem quis preter eum habet, qui ratione & cogitatione utitur? qui res uarias ratiocinãdo inter se confert, & ex rationis collatione potiorem eligit?* NIC. *Iam plane intelligo quẽ uoces aptũ, ineptumue ad promerendum. Ex quo decerno mereri hoc esse, quod rem aliquã mercede dignam efficere.* BAR. *Apte. Sed ne quis a proposito nimium digressos nos putet, aut ea, quae diximus,*

scopis (ut in prouerbio est) dissolutis esse similia, unde processit oratio, eo reuertamur. Aio itaq; hominem et natura, quia mente praeditus est, diuinae felicitatis esse capacem, et merito quodã, quia suarum actionum habet liberam in se ipso potestatem: cum cetera animantia & rationis expertia sint, & libertatis actionum. Quare ad felicitatẽ preter rerum diuinarum scientiam, uoluntas etiã queritur, & electio earum rerum, quae ad illam consequendã necessariae sunt. Vnde ei, qui iustitiae uiam tenuerit, uita aeterna promittitur. Exposui quid beatitudo sit, & unde sit, ac quomodo acquiratur. NIC. *Exposuisti quidẽ ista copiose & ornate: sed ubi aeternitatis a te mentio facta est, id dubij in mentem uenit, an felicitas amitti possit?* BAR. *Si amitti posset, nulla esset felicitas. Nam cum beatus intelligit se illã posse amittere, in metu sit necesse est. Metus autem in malis est. Si uero hoc non intelligit, quae sint contra naturã suam ignorat. Atqui ignorantia graue profecto malum est. Nullum autem malum in beatum cadit. Tum non decet Deum sanctitatis & aequitatis exemplar odisse eum, a quo diligitur; nec uoluntas potest summum bonum non amare, cuius adeptione in perpetuis gaudijs est; nec in caelo ulla res est aut Dei uirtute potentior, aut uoluntatis tranquillitati contraria, quae mutuã Dei atq; animae charitatem diuellat. Hinc beatitudinem legimus in*

sacris

ſacris uoluminibus uitam æternam appellari: quæ in omne tempus iucundiſſima permanet. In cuius felicitatis poſſeſſionem Deus optimus, maximus ſummis precibus ſemper orandus eſt, ut per Ieſum Chriſtum filium ſuum, ac dominum noſtrum nos, quibus eam duobus teſtamentis benigne legauit, pro ſua pietate & clementia liberaliter aſciſcat.

F I N I S.

Errata aliquot ſic corrigito.

Fol.3.a.gatiam.gratiã.4.b.ominũ.omniũ.7.b. ἀλαθεῖν. ἀγαθεῖν.9.a.explioandi.explicandi.12.a.Pithagoræ.Pythagoræ. 13.a. apllatione. appellatione. 6.micordiam. miſericordiam.25.a.incepit.incœpit.externa. heſterna. 27.b.diſtrahi.diſtrahi. δύναμιν: δύναμιν. 29.a.ad aliud relatæ. ad aliam relatæ.42.a.externis.heſternis.46.b.auacitiã.auaritia.50.a.uocaur. uocatur.52. a. bonorũ aura. honorũ aura.56.b.troiani ille.troiani illi.58.b. gunus, genus.61.a. uehementiorem amimi. uehementiorũ animi.63.b.indoſſubiles.indiſſolubiles.74.b.aliuned.aliunde.75.a. a quo formam.a quo forma. 85.b. redarguit. redarguitur. 87.a.uias indagamus. uiam indagamus.

Hos quinque libros Ioannis Antonij Viperani de ſummo bono eruditione, iuditio, eloquentia, ac pietate refertos cum perlegiſſem, iudicaui digniſſimos, qui imprimerentur.

Ego Marius Floridus Societatis Ieſu manu ppria.

Imprimatur. Lelius Seſſa.

Io. Franciſcus Lombardus.

